154 £ 100
f. 56. $. 26

BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE V. E. II ROMA
8
56
D
26

IHS

Domus Professæ Romanæ
Societatis Jesu.
In Usum Novitiorum Secundæ Probationis
Ibi Ecclesiæ Inservientium.

Digitized by Google

Digitized by Google

L.56.D.96

PRETIOSAE OCCVPATIONES MORIENTIVM IN SOCIETATE IESV.

AVTORE

IOANNE NADASI EIVSD. SOC. IESV.

B. Aloyſ. vitæ lib. 2. c. 32. p. 361.

Omne temporis momentum quod ſibi *Deus* extremâ ſuâ vitâ concederet, tanti æſtimabat, vt non niſi in rerum *pretioſarum* tractationem expendi vellet.

Coll. Parmenſij Soc. Iesu. cat.

ROMAE,
Typis Iacobi Antonij de Lazaris Vareſij.
Anno MDCLVII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

PROTESTATIO.

PRoteſtor, in his omnibus, nulli me velle nouum Sancti, vel Beati nomen, titulumùe dare: omnia à me bonà fide narrari: & ea, quæ reuelationis, vel viſionis nomen, aut qualemcunque admirabilitatem habere videntur, fide non aliâ niti, quàm hiſtoricà, ſeu humanà; iuxta mentem Vrb. VIII. hac de re ſancientis, vt eſt in formula conſueta longioris proteſtationis.

Ioannes Nadaſi Soc. Ieſu.

Digitized by Google

ADMODVM R. P. NOSTRO
IN CHRISTO PATRI
GOSVVINO NICKEL
SOC. IESV PRAEPOSITO GEN.
IOANNES NADASI OPT. FEL.

AVE, Imperator; morituri te ſalutant; *acclamabant Claudio Cæſari naumachiariÿ prælium inituri. quibus & ille aiebat*: Auete vos. *Introſpice hos Tuos, A.R.P. quos ego hic in morte, velut in ponte naumachiario, Tibi ſiſto: & illos Tuos tam experrectæ aciei oculos per vniuerſum latè longèq; terrarum ac marium orbem hac occaſione circumfer. Quot ſunt, qui, ſupremà veluti naumachià, pro adeundà Societate ciuium ſupernorum decertant: & Tibi, qui militantis huius minimæ ſub vexillo* Ieſu *Societatis, anno abhinc iam ſexto plurimà Comitiÿ maximi ſuffragatione dilectus es Imperator, DeCIMo GeneraLI è lectulis mortualibus, ſeu vndeunde, voce ſupremùm ſingultiente, vltimum à Te amplexum accepturi, acclamant*: Aue, Imperator; morituri te ſalutant! *Benè precare oram ſoluentibus. Dic morituris quoq; tuis*; Auete vos; *cui tanta cura eſt mortuorum, vt ÿs primùm qui in Societate, ÿs deinde qui in vniuerſa Chriſtiana Rep. fideles decedunt, ſanctiſſi-*

Suetonius in Claudio cap. 21.

Electus anno 1652 17. Martii

mà cæleſtis munificentiæ liberalitate, ſacrificia diuina è ſacro illo tuo ſacrificiorum velut gazophylacio (quod ſolum tributũ tibi pendimus) dones; quò illas animas nobiliſsimà obligatione deuincias, & ceu ſupplici legatione mittas ad cælum, coràm iſtic pro illorum felicitate acturas, quorũ quà beneuolentiæ, quà etiam beneficentiæ debet aliquid gratè memor Societas. Iam ſi eorum qui eò nauigium appulère, vbi deinceps non poterunt metuere naufragium, vt loquitur Chryſoſtomus, tam ſagax, tamq; induſtria tibi cura eſt; quid hi à te ſperabunt quorum vita fluctuat inter portum, æternumq; naufragium; quaſi naues poma portantes; *aut* naues, *vt legunt alij*, voluntatis, *quæ*
Iob. 9. 6. *ſola, ſi* patiatur, *facit naufragium? Et certè, ſi* militia, *ſeu* tentatio, *ſeu, vt vertunt alij*, pira-
Iob. 7, 1. terium, *piratarum ſedes, eſt vita hominis ſuper terram; iuuabis in ſupremo certamine milites tuos contra infernalem piratam habentem tunc iram magnam. At de his, ſatis. Verùm, Vitæ mihi ſcribendæ commiſſæ ſunt! Nempe dum à morte, vltimà vitæ periodo, & rerum lineà, incipio, facio quod prudentes; in principio finem reſpicio: facio quod Palæſtini, alijq;, qui cùm legunt, vel ſcri-*
Pſ. 65. 9. *bunt, à fine lineæ ordiuntur: facio quod aiunt ij qui illud;* vitam meam annunciaui; *legunt*, migrationes meas. Vitas *ergò ſcribo dum ſcribo* migrationes. *Et licebit hæc locupletare olim ex vitis, ac annuis. Prodeant interim hi, veluti prodromi, ſub vno conſpectu poſiti; & proſint: qui*

aliàs

aliàs ferè in otioſo archiuij ſilentio latuiſſent. Præclaræ ſunt mortes Imperatoriæ, *dicto veteri: at religioſæ longè ſecuriores, & pretioſæ. Pretioſi fuère ſupremi dies Ludouici XI. Galliarum Regis, medico ſuo quotidie quingentos aureos, pro extendendæ vitæ induſtriâ, numerantis. Nobilius ex vltimis horũ quos hic narro diebus, operæ meæ pretium ſpero, quia immortaliter duraturum. Horum ego ſupremum ſpiritum dum lego, legendumq; propono ſanis, & ægris, diſco ac doceo ad lectulos mortuales illud Philoſophiæ Theologæ, ac ſine paralogiſmis arguentis, quod ſapientibus religioſis ſuis (nempe Bonzijs) præſtituebat pro horâ meditandi, teſte S. Franciſco Xauerio, Præſes:* Cùm, *inquit,* extremo iam ſpiritu mors vocem intercludit, ſi tum animæ è corpore diſcedenti loquendi facultas detur, quibus tandem verbis in illo digreſſu corpus alloquatur ſuum. *Sed* Aue *iterùm, ac vale.* morituri te ſalutant. *Viue* Dei *gloriæ, ac* ad maiorem *Dei* gloriam, *efficacitate ſuauiſsimâ, vti tuus eſt genius, prouehendæ Societati, cuius es DeCIMVs GeneraLIs: ſitq; Tibi felici Generali* Chriſtus Aſſiſtens Pontifex. *Romæ in Domo Prof. Soc.* Ieſu 15. *Auguſti. die in cælum Aſſ. Matris* Dei, *Reginæ noſtræ. anno MDCLVII.*

Lib. 3. cp. 4.

Ad Hebr. c. 9. v. 11.

GO-

GOSVVINVS NICKEL SOCIET. IESV
Præpoſitus Generalis.

CVm librum, cui titulus; *Pretioſæ occupationes morientium in Societate Ieſu*; à Patre Ioanne Nadaſi noſtræ Societatis Sacerdote conſcriptum aliquot noſtri quibus id commiſſum eſt recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint; poteſtatem facimus, vt typis mandetur, ſi ita ijs, ad quos pertinet, videbitur: in cuius rei teſtimonium has literas manu noſtra ſubſcriptas, ſigilloq; noſtro munitas damus. Romæ 4. Aprilis 1657.

Goſvvinus Nickel.

Imprimatur ſi videbitur Reuerendiſs. Patri Mag. Sacri Pal. Apoſt.

M. A. Epiſc. Ierap. Viceſg.

Imprimatur cum Proteſtatione.

Fr. Georgius Rainoldus Magiſt. & Reuerendiſs. P. Sac. Apoſt. Pal. Mag. Socius. Ord. Præd.

PRE-

PRETIOSARVM OCCVPATIONVM INDEX.

Cap. I. COnfeſsio generalis non differenda.
Cap. II. Frequens confeſsio: & ſenſus tenerior pietatis.
Cap.III. Viaticum, & crebra communio.
Cap. IV. Extrema vnctio maturè petita.
Cap. V. Indulgentiæ. Ieſus. Maria.
Cap. VI. Cultus SSS.Trinitatis.
Cap.VII. Ad voluntatem Dei aſpirare.
Cap.VIII.Nunc teſtare quà intentione mori velis.
Cap.IX. Crucifixus, occupatio pretioſa.
Cap.X. Dulcis memoria Matris Dei.
Cap. XI. Beatiſs.Virgini munuſculum aliquod pro felici morte offerre.
Cap.XII. Sacra ſupellex morientis: Crucifixus, corona B. V. numiſma cum indulgentÿs, imagines, cereus Lauretanus, reliquiæ Sanctorum, cereus agnus Dei, aqua luſtralis, libellus regularum, palma.
Cap.XIII. Familiaris erga Angelos pietas.
Cap.XIV. Inuocanda B.V. & Sancti.
Cap.XV. SS.PP. Ignatius, & Xauerius.
Cap.XVI. Legenda mors S.P. Ignatÿ; & felicitas morientium in Societate.
Cap.XVII.Mors ab alÿs in Soc. pretioſè obita legenda.
Cap.XVIII. Gratiæ Deo agendæ.
Cap.XIX. Si omni humanà ope te in morte videas deſtitutum, vt S.Xauerius, quid agendum.
Cap.XX. In doloribus aſpirationes.
Cap.XXI. Alios orantes audiat æger.
Cap. XXII. De Patre ſpirituali, de fidelibus amicis, de

Digitized by Google

de morte Io: Berchmans.
Cap. XXIII. *Pretioſa occupatio morientis, Humilitas.*
Cap. XXIV. *Obedientia morientium occupatio.*
Cap. XXV. *Sancta hilaritas, & patientia.*
Cap. XXVI. *Preces Sociorum, & induſtriæ poſtulandæ.*
Cap. XXVII. *Lectio ſpiritualis.*
Cap. XXVIII. *Paranda in vita quæ prælegantur in morte.*
Cap. XXIX. *Vtendum præparationibus quas præmiſiſti ſanus.*
Cap. XXX. *Vſus earum precum quas tibi præparaſti.*
Cap. XXXI. *Prouidentia contra tentationes.*
Cap. XXXII. *Variæ ſanorum, & ægrorum præparationes expendendæ.*
Cap. XXXIII. *Cùm finis vitæ imminere videtur, quid agendum. vbi B. Aloyſij mors in puncta digeſta.*
Cap. XXXIV. *Prima ſani ad mortem apparatio; frequens mortis recordatio.*
Cap. XXXV. *Sub ſacro ſe morti quotidie præparare.*
Cap. XXXVI. *Amicorum piè morientium, vel mortuorum meminiſſe.*
Cap. XXXVII. *Paratum eſſe in horas: nec mortis genus curare.*
Cap. XXXVIII. *Adeſſe moribundis libenter.*
Cap. XXXIX. *Monita morientium legere, & ſequi.*
Cap. XXXX. *De ſatisfactione per morbum, dolores, &c. & de peccatis confeſsis; an poſsint iterùm ſubijci clauibus.*
Cap. XXXXI. *Preces pro ægro, cum ægro, vel apud ægrum dicendæ.*

PRE-

PRETIOSAE
OCCVPATIONES MORIENTIVM IN SOCIETATE IESV.

CAPVT I. Prima occupatio pretioſa.

Confeſsio Generalis non differenda.

1 IOANNES Lauretanus Romani Collegij æditııus anginà correptus eſt, citra metum quidem aut opinionem periculi, non tamen citra periculum. Quare tametſi morbus non tantus erat, vt Ioannem lectulo ſterneret, tantus tamen erat, vt conſuetam generalem ſex menſium exomologeſim in tempus paulò commodius putaret differendam, quò eam attentè magis ac exactè obiret. Sed adeò ſecurum periculi Ioannem (& in eo alios, vt ſibi quantocyùs, & quàm optimè ſuis rationibus conſulant) monuit *Deus*. Angelus Cuſtos (ita enim interpretari facile eſt) ſpecie hominis irato vultu trucis Ioanni ſeſe oſtendit per quietem, & lanceà minatus eſt, Sachin.p.3. hiſtor.Soc. anno 1570. num.17.

quòd tamdiù generalem ſemeſtrem confeſſionem diſtuliſſet. Ioannes eo viſo, tametſi necdum tempus effluxerat vſitatæ ſex menſium confeſſionis, adeoque nihil culpæ à comperendinatione contraxiſſe ſibi videri poterat; adeò tamen timore ac tremore concuſſus eſt, vt miram diuini oculi in ijs etiam vbi nos culpam nullam in nobis reperimus introſpiciendis perſpicientiam ſimul benignitatemque gratè reueritus, à capite, ſiue ab ipſo vitæ exordio, non verò à ſemeſtri tantùm, arceſſendam putauerit confeſſionem ſuam. id quod aperiente ſe diedum facit, ſuperfuſæ repentè pituitæ impetu interceptà, ſed reſtitutà diuino beneficio, loquendi facultate, ad finem deducta confeſſio eſt: & reliquis morientium præſidijs armatus Ioannes, cùm iam ſupremo ſe momento proximum videret, Quæſo, inquit, Patres, fratreſque abiecti in genua rogate pro me Beatiſſimam *Dei* Genitricem; ſemelque pronunciate *Salue Regina*. Illis Antiphonam finientibus, Ioannes vitam, quæ & ipſa breuis mortis quaſi antiphona eſt, abſoluit; vt *Ieſum* benedictum fructum ventris Virginis poſt hoc exilium, ſibi à *Maria* oſtenſum aſpiceret in libertate filiorum *Dei*.

2 *Franciſcum de Montalbo* Villagartienſis tironum Domus annuæ anno 1623. 22. Iulij extinctum referunt: aiuntque illum de vniuerſa

Digitized by Google

uerſa vita confeſſum, nihil mortalis noxæ vnquam admiſiſſe. Hunc pia fœmina cælum cum inſigni gloriâ & palmâ pulcherrimâ ſubeuntem vidit.

3 *P. Nicolaus Slaninus* Pragæ anno 1649. 6. Aug. in ipſa Generali Confeſſione pertexenda occupatus ad extrema vitæ peruenit, reliqua doloris & amoris actibus exquiſitis impleuit, ſtatim abſolutus, vnctus, extinctus. Vir de ſacro pœnitentiæ tribunali ſanctè meritus, Eccleſiaſtes ardens, & amabilis. In gratiarum actionem pro diuinis beneficijs ſæpè animam pro holocauſto amoris offerebat, illud in ore verſans, ſe omnes, quos mundus vnquam vidiſſet morbos, aut videret, libentiſſimè toleraturum, ſi vel ſic omnes mortales ad *Dei* amorem poſſet pellicere.

4 *Gabriel Claros* 76. annos natus, Madriti optimatibus iuxta & infimis charus, præ alijs præcipuam ſibi eſſe voluit *SS.* Euchariſtiæ colendæ, ac ſuæ conſcientiæ excolendæ curam. Quotannis, vt ſe morti, ac ſumendo Sanctiſſimo Chriſti Corpori, ipſo eius Myſterij Feſto die, pararet impenſiùs, vniuerſas conſcientiæ rationes in Sacramento pœnitentiæ exponebat. Et verò ipſo Corp. Chriſti die morbo correptus, non diutiùs detentus in hac mortalitate eſt, quàm tota Euchariſtici feſti hebdomas elaboretur. cum quà ipſo octauo poſt feſtum & morbi die

(qui anno illo 1627. erat 10. Iunij) diem ſupremum vixit: quaſi *Deus* conſuetam illam eius quotannis pietatem hàc morte adeò opportunà voluerit commendare.

5 *P. Ludouicus de Fonte*, xv. die ante mortem, cùm nullum morbi indicium oſtenderet, confeſſario ſuo tempus reſolutionis ſuæ inſtare affirmatè dixit, eòque totius vitæ noxas per Sacramentum pœnitentiæ expiauit. Lætitià geſtiebat ad mortis cogitationem: aiebatque Regio cuidam aulico, ſe leproſi illius inſtar eſſe, qui à venatore interrogatus, quare cantaret, reſpondit; eò, quòd inter *Deum* & ſe, non niſi rudem, eumque iam caducum, ſenſimque cadentem corporis ſui parietem interpoſitum videret, ſperaretq; breuì hoc impedimentum penitus auferendum. De mortis illius glorià erit locus agendi aliàs. Non deſunt qui peractà generali confeſſione, vel etiam particulari, mortem ipſam obedienter, & patienter è *Dei* manu ſuſcipiendam, ac dolores pro pœnitentia, tanquam ſtipendium peccati & pœnam, ſubire ſe velle dicant pro ſatisfactione; idque vt per hanc confeſſarij impoſitionem, ſatisfaciant pro peccatis ex opere operato, ex vi Sacramenti, cuius integralis pars eſt ſatisfactio à confeſſario impoſita. vnde aiunt Confeſſario: Pater, pro mea pœnitentia applica etiam, vt quicquid in morbo iſto, & morte ipſa

ipſa boni fecero,& mali patienter ſuſtinuero, ſit mihi in remiſſionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. quod ego punctum è S. Thoma, Soarez, Coningh, & Card. de Lugo aliàs fuſiùs expono hìc.

6 *P. Ioſeph Guimera* 1620. 4. Octobris morte vitę planè conſentaneà ſublatus è medio mortalitatis, ad immortales profectus eſt eo ipſo die, quo alterum & octogeſimum vitæ annum implebat; cùm 15. ætatis anno Societatem fuiſſet complexus. Hic vir, vt ſe morti ſecurum ſiſteret, quo, poterat mentis ad *Deum* erectæ vigore, centies de peccatis dolens quotidie, centies quotidie à *Deo* dolenter peccatorum ſuorum veniam expoſcebat. Cùm verò ſe timidiorem eſſe non neſciret, petebat à *Deo* quietam mortem, ſine illa, quæ non nunquam in moribundis aduertitur, perturbatione timoris. Ad illam verò ſecuritatem comparandam, præter eas, quas iam inſtituerat, confeſſiones, & frequentes quotidie actus, generalem de tota vita confeſſionem in partes diuiſit, vt illam intra tres vel quatuor dies particulatim abſolueret. Cùmque aliàs calore intolerabili æſtuaret, per illos tamen 3. vel 4. dies, quibus durauit confeſſio, quaſi tempus ipſius confeſſionis reueritus ille æſtus, ceſſabat tantiſper; & poſtea iterùm reuertebatur. P. Ioſeph autem inter pulcherrimam voluntatis ſuæ

cum

Digitized by Google

cum diuinâ coniunctionem, & dulciſſimos in theſauro Sanguinis Chriſti repoſitæ ſpei actus, in ſuauem mortem tranquillus indormijt.

7 *P. Ioannes Sallær*, qui anno 1630. 24. Martij Monachij defunctus eſt, narrauit aliquando ſibi quendam de Societate poſt mortem conſpectum diſertè dixiſſe: Niſi in Societate eſſes, periturus eras. Nempe videt bonus *Deus* quæ quiſque æternæ damnationis pericula, per eum ad quem à *Deo* vocatus eſt religioſum ſtatum, effugiat. Prouidetque de aptis æternæ vitæ aſſequendæ medijs in tali ad quem te vocat ſtatu; fortè in alio periturum. Extremum morbum quaſi præſagiens, de tota vita in ſæculo & religione tranſactà confeſſus eſt.

8 Anno 1649. 26. Decemb. Ratisbonæ *Marcum Grandl* (de quo hìc aliàs) inter Sacramentalem de tota vita Confeſſionem & abſolutionem repentè apoplexia, & mors opportuna occupauit.

Præſtat tamen generalem hanc ſui expiationem à ſano fieri omninò tempore renouationis, vel annuorum exercitiorum, vel Iubilæi; apparatione illà, quà fieret à breui morituro: & fortè ſcrupuloſo cuipiam, ſi ita videretur, præceptum quoque accipiendum eſſet à Confeſſario, hæc non ampliùs repetendi, etiam ſub mortem. *Confiteberis viuens*, inquit Eccleſiaſticus, *viuus, & ſanus confiteberis*,

Eccli. 17. V. 27.

ris,

ris, & laudabis Deum, *& glorificaberis in miſerationibus illius. Quàm magna miſericordia Domini, & propitiatio illius conuertentibus ad ſe!* Nec alienum eſt religioſis iſta ſuggerere. Non abs re enim è vita S. Auguſtini illud pro lect.6. in eius feſto legendum nobis præſcribit Eccleſia: In febrim incidit. Itaque cùm diſceſſum è vita ſibi inſtare intelligeret, Pſalmos Dauid, qui ad pœnitentiam pertinent, in conſpectu poſitos, profuſis lachrymis legebat. Solebat autem dicere: *Neminem, etſi nullius ſceleris ſibi conſcius eſset, committere debere, vt ſine pænitentia migraret è vita.*

CAP. II. Secunda occupatio.

Frequens Confeſsio: Senſus tenerior pietatis.

1 REcogitatisI (eo modo, quo Confeſſarius iudicàrit) omnibus annis vitæ in amaritudine animæ, reſtat, vt morbo durante particulares confeſſiones crebriùs fiant, ad ſecuritatem maiorem, ad purgatorij compendium, ad cumulum meritorum. *B. Staniſlaus Koſtka* S.I. tyro, iam olim Viennæ Auſtriæ à S. Barbara viſitatus, & ab Angelis Euchariſtià refectus, à Beatiſſima *Deipara, Ieſu* paruulo in amplexus in lectulum porrecto, recreatus, & ſanatus, atque Societatem *Ieſu* ingredi iuſſus, cùm Romæ ipſis Augu-

Auguſti Kalendis P. Petrum Caniſium tyronibus de optima menſis, tanquam vitæ poſtremus is eſſet, tranſigendi ratione dicentem audiſſet, id verò in rem ſuam interpretatus; & S. Laurentium eius menſis Patronum ſorte conſuetà ſibi obtigiſſe lætus, in illius peruigilio diſciplinà, & alijs ſeſe affligendi artibus, ipſo verò die poſt Sacrum Epulum, infimis culinæ officijs ad meridiem vſque deditus, illum coluit. Leni deinde correptus morbo, & in lectulum concedere iuſſus; priùs quàm lectulum conſcenderet, fixis humi ante lectum genibus, breui oratione factà, ſigno Crucis lectulo benedixit, hilaritate amœnà quà ſolebat, dicens: Si ita placet *Deo* meo, vt ex hoc lectulo nunquam ſurgam, fiat eius voluntas. Febri poſtea cùm arderet, Claudio Aquauiuæ, qui ægrum Commilitonem inuiſebat, dixit, ſe, internuncio & cauſæ ſuæ Patrono S. Laurentio, à Beatiſſima *Dei* Matre vnà cum Illà aſſumi petijſſe, ac ſperare preces non irritas cecidiſſe. Sunt, qui dicant, Stanislaum ſuper ea re per S. Laurentium litteras B.V. *Mariæ* ſcripſiſſe, ſiue libellum ſupplicem porrexiſſe. Et verò vbi ne periculum quidem ſuſpicabantur alij, mors fuit, quæ tertio tertianæ febriculæ acceſſu rapuit Stanislaum. In aliud cubiculum deductus, diſertè dixit, ſe ibi moriturum. Vltimo verò vitæ die, aiebat, ſe illà Virginis Aſſumptæ

Digitized by Google

nocte migraturum; idq; affirmauit non ſemel, quicquid alij dicerent, citra mortis periculum eſſe morbum. Humi tandem abiectus iacere impetrauit: vbi ſibi planè præſens, ac ijs, quæ dicebantur piè reſpondens pœnitentià expiatus ad Euchariſtiæ præſentiam amœnà hilaritate toto ore perfuſus geſtiebat. Sacramentis Euchariſtiæ, atque vnctionis extremæ incredibili dulciſſimæ voluptatis ſenſu æſtuans communitus eſt. & deinde Rectori, Tempus breue eſt, inquit, reliquum eſt, vt præparemus nos. Et quaſi pro mortis apparatu hactenus nihil feciſſet, ex integro à capite pręparationem ordiri voluit, *& conſcientiam ſemel, ac paulò poſt iterùm*, religiosà planè accuratione ab omnibus, quæ tenero animo adhærere poterant, labeculis expurgauit: Patre, qui confitentem audierat, illum de ijs, quæ ad conſequendam in illo articulo plenariam in Societate *Ieſu* morientibus dari conſuetam Indulgentiam neceſſaria erant, commonefaciente. Tunc placato quaſi iam *Deo*, à fratribus etiam, quos inter velut inter Angelos indignum ſe verſari aliàs dicere conſueuerat, veniam petijt exempli, ſi quod fortè loci Sanctitate minùs dignum præbuiſſet. Tandem vltimas illas vitæ, atque temporis à *Deo* ad lucra æternitatis conceſſi particulas intentiùs, & ſanctiùs occupare conatus, vſitatas, & illi tempori ac-

Indulgētię procurādæ

B co-

Digitized by Google

comodas, Sanctorum preces innocentiſſimâ cordis attentione recitauit. Inde petitam *Ieſu* Cruci affixi effigiem, manu tenens, eam *quæ totius Paſsionis memoriam continet, orationem* cum Patre dixit. Deinde morientem in Crucis lecto *Ieſum* amoeno oris riſu, & ſuaui pectoris calore allocutus; *Gratias*, aiebat, *gratias tibi, benigniſsime Domine, pro beneficiis erga me tuis! Gratias Tibi,* Deus, *quòd me creaueris! Gratias Tibi,*Ieſu *Crucifixe mi, quòd me tuo, tuo Sanguine redemeris! Gratias Tibi, quòd me ad Religionem vocaueris! Gratias Tibi, pro omnibus & ſingulis aliis Beneficiis tuis! Parce! parce! parce! Domine! & accipe Spiritum meum!* Plura ſimilia bona verba cor illius eructabat æſtuans *Deo*. Mox ore tacito, & ad ſuauem quendam pietatis geſtum, guſtumq; compoſito, coniectis, & defixis nunc in illam, nunc in hanc pendentis *Ieſu* partem oculis, quantà quantà potuit religioſiſſimi oris reuerentià Chriſti ſtigmata oſculis vltimis adoraturus, à pedibus inchoauit, & ſurſum aſcendit per ſingula ſuauiando. A *Ieſu* ad *Mariam* progreſſus, petitam, porrectamque dulciſſimæ *Dei* Parentis, Matris ſuæ, effigiem, coram qua preces fundere conſueuerat, amplexu quàm potuit amantiſſimo, & oſculo veneratus, Illi ſalue, ac vale dixit, initium amplexuum æternorum; cùmque Patrum quidam quæreret; Eccur B. V.

Gratiæ agendæ.

Coro-

coronam manu geſtaret, ſubridenti ſimilis reſpondit: *Ad honorem meæ Matris*; & ſimul pendentem è Patris Roſario B. V. imaginem exoſculatus, audito quòd breuì in cælo ſuæ illius Matris manum eſſet exoſculaturus, dulciſſimè tripudiare eſt viſus. Mox electorum in tutelam cæli ciuium nomina ſibi voluit è præparato ad id catalogo recitari, vnà cum ijs, quos in ſingulos menſes protectores acceperat; & in rationario ſui libelli deſcripſerat: ad quorum opem ſibi demerendam Sociorum preces implorabat. His demum ex animi ſententia peractis, poſt expurgatum iterùm iterùmque conſcientię intimę ſinum, poſt aduocatos in auxilium *Ieſum*, *Mariam*, ac Beatos Cęlites, acceptumque viaticum, & datum mundo vltimum valedicentis verbum, num quid quod moleſtiam crearet, haberet interrogatus, reſpondit, nihil ſe habere: Num verò paratus iam eſſet ſequi euocantem *Deum*; dulciſſimè colliqueſcens igneo quodam & dulci ſuſpirio, *Paratum*, aiebat, *cor meum*, Deus, *paratum cor meum*! Iam Stanislaus vltima egerat: vltimum erat, vt vltima pateretur. Manum alteram Roſario Mariano munitus, grana quędam piacularia indulgentijs mortis articulo accomodatis dotata ſuſtinebat, alterà cereum mortualem accenſum. His occupatę erant manus. Ore verò ad vltimum Domini oſculum in quo

Imago B. Virg.

moreretur , modeſtiſſimè compoſito , poſt modicam , placidamque , ac ſopori ſimilem, quietem , quà in abſcondito faciei Domini quieſcebat, repentè ſuauiſſimà ſerenitate perfuſus, oculoſque modeſtà hilaritate aperiens, quaſi labijs dicere aliquid moliretur (putant Beatiſſimę Virginis clienti ſuo migranti pręſentis tunc exhilaratum aſpectu) *Ieſum* & *Mariam* pro ſupremo ſacratiſſimoque ſolatio atque pręſidio vltimùm identidem ingeminans dixit ; & in pace in idipſum dormiens , & requieſcens Romę ad S. Andream , primitię in nouo illo templo dormientium , anno 1568. ipſà nocte triumphalem Aſſumptę *Dei* Matris diem inchoante , in agone dulciſſimo, inter plura indicia animi admirabiliter geſtientis , animam in notum iam olim, in lectulo Viennenſi *Ieſu* , *Mariæ* , Barbarę, ac Angelorum ſinum, ęternam illic ętatem acturus , dedit , anno ętatis 18. Societatis initę Menſe 10. Audita eſt per quietē eadem nocte in Profeſſorum Domo Romę à quodam , qui Stanislaum inuiſere deſtinàrat, vox affirmans, atque iterùm repetens, *Iam Stanislaus eſt in cœlo.* Iam Stanislaus eſt in Cęlo! ibi me, teque expectat. Eamus! At ne nos ignis emēdatorius remoretur , eamus crebrà omninò peccatorum confeſſione, Sacramentis reliquis, bono Patre ſpirituali, fidelibus amicorū precibus, tenerà ſolidàque erga Crucifixum , Deiparam Ago-

nizan-

nizantium Matrem, Angelos, Cęliteſque noſtros pietate, diligentiſſimà in acquirendis Indulgentijs accuratione, lectione ſacrà, & oratione, humilitate denique atque charitate vndequaque muniti.

2 *P. Robertus Card. Bellarminus* cùm ante Confeſſionem in morbo vltimo *animum iterùm ac iterùm repetito examine exploraret, vt confiteretur*; & nihil reperiret, quod abſolutioni Sacramentali ſufficeret, clauibus iterùm, ſeu *abſolutioni ſubiecit ea, quæ iam antea confeſsione deleuerat*. Totus verò ne quid noxę admitteret intentus, optabat annum adhuc vitę quo ſe totum innocentiſſimę vitę daret. Inde à gemino amantiſſimè inuiſentis ſe Pontificis amplexu, à Cardinalium non tam honorarià, quàm deuotà viſitatione, nihil à *Deo* auocatus, querebatur, quòd de ſuo in domum ęternitatis ſuę profectu nuncium necdum acciperet: & ſuſpirans; ò quam miſerè falluntur, aiebat, qui cùm perditè viuant, credunt, poſſe ſe laudabiliter mori! Deinde ad mortis nuncium exhilaratus, ijs occupationibus adiecit animum, per quas immaculatus *Deo* ſeruaretur, Fidei, Spei, Charitati exercendę intentus. Vltimam Pontificis cum plenà peccatorum ac pœnarum venià Benedictionem vt ſanctè acciperet, *Generalem confeſsionem* obiuit, & aperto reuerenter capite accepit; atque ita Apo-

ſtolico

Digitized by Google

Preces ægri. ſtolico Symbolo recitato, & Pſalmo quinquageſimo, ac Dominicà, & Angelica precatione ſçpiùs repetita, interpoſitis tam ſçpè quàm piè *Ieſu* & *Mariæ* nominibus, Crucifixo nunc ſuper caput poſito, nunc ad pectus per amplexum admoto, ijs, quç ſuggerebantur precibus reſpondebat. Poſtea tamen ſine voce iacuit, ea quç clariùs dicebantur intelligere viſus: & clauſis oculis, dum animç commendatio in Patrum frequentium coronà diceretur, mundam animam vir immaculatus *Deo* reſtituit, fer.6.17.Sept.1621. anno vitç ferè octogeſimo.

3 *Aegidius Montanus* de aliquo ſuo, quod confeſſione iam olim eluerat, peccato (putant fuiſſe quandam inobedientiam, ſiue quòd obedientià non conſultà ex vno domicilio in aliud ſe contulerit) vehementer ſolicitus, morti vicinus hçc vidit, vt poſt eius mortem P. Emanuel Sa in publica adhortatione domi narrauit. Nocte intempeſtà dum vigilat Aegidius, videtque cubiculum, in quo iacebat, totum magno iucundoque completum lumine; viſus ipſe ſibi eſt cubiculi tecto petefacto, ita vt cçlum pateret, ſuſtolli in altum quaſi plumbeà circundatus veſte, quç, tanquam colliqueſcente ſenſim, & collabente plumbo, quo Aegidius altiùs, attollebatur, hoc fiebat leuior. Cùmque euectus tandem vſque ad ſolium auguſtiſſimum *Dei*

Hiſt. Soc. p.2. lib. 5. num.65.

eſſet,

Digitized by Google

eſſet, nec auderet oculos ad eius conſpectum erigere, conſcientià illius peccati, iuſſum à *Deo* bono animo eſſe; ſeque intueri: iam condonatam noxam, cuius puderet. Cùm igitur animo ex ijs verbis ſumpto, fixiſſet in *Deum* oculos, eoq; ſpectaculo fruitus aliquamdiu eſſet, cognouiſſe, die Annunciationis *Deiparæ* horâ diei ſupremà ſibi moriendum; & annuo circiter ſpatio duos inſignes Collegij homines ereptum iri. Ita ibi rei veritatem, & ipſius Aegidij eo die, & PP. Hieronymi Baſſi, ac Leonis Lilij conſecuta mors affirmauère. Noſtrum eſt plumbeam hanc, quà circundati ſumus, veſtem crebrà confeſſione, veriſque in ea doloris ac amoris actibus liquefacere, ſemperque faciliorem ad videndum *Deum* aſcenſum nobis parare.

Peccata venialia plūbum.

4 *P. Saluator Spinellus* Marchionis Fiſcaldi Filius, Neapoli 23. Martij anno 1620. apparatè accuratèque ſeſe parans morti, felix occubuit. Nam prçter ſelectiſſimos exquiſitiſſimoſque actus, qui morientes decent, ac locupletant, & quotidianam, quando per medicinas id licebat, Synaxim, *frequentiſſimè confeſſus, frequentiſsimè abſolui voluit*, id quod illi, dato ab eo ſigno, factum etiam paulò ante quàm purgatam animam expiraret.

5 *P. Franciſcus Robillardus* Pariſienſis, anno 1620. 8. Decemb. Billomenſe Collegium

gium cum cęleſti, morte pulcherrimâ, commutauit. Nam cùm ſe morti quęſitiſſimis induſtrijs comparaſſet, ſine querela patientiſſimus, abſque intermiſſione orandi ſtudio addictiſſimus, ipſo illo Mariano die ſacri viatici, & ſupremi olei Sacramentis inſtructus, *cùm animam iterùm Sacramento expiaſſet*, mors illum id quod pœnitentię nomine orare iubebatur exequentem occupauit; &, quod aiunt, velut in flagranti Sacramenti pœnitentię deprehenſum *Deus* miſericordiarum abſtulit, in miſericordia & miſerationibus coronandum.

6 *P. Antonius Aragonius* olim Dux Montaltus, & Princeps de Paterno, Neapoli anno 1631. 9. April. in Profeſſorum Domo Societatis *Ieſu* vota nuncupauit, inter dulces lacrymas, pręſente Prorege, & Filio ſuo Principe, alijſque magnis; Filium, Societatem amplisſimè ac tenerrimè cordi vt haberet, rogauit, ſeque illi pro principali, ac pręcipuâ hereditate deuotionem, & protectionem erga Societatem relinquere affirmauit. Mox P. Vincentio Carafa porrigente viaticum, & ſupremum vnctionis myſterium accepit. Tum noſtris, pro more, tanquam peregrè profecturus, amplexu valedixit, etiam Nouitijs. Votis, quæ ediderat, ſuâ manu ſubſcripſit: 15. Aprilis ad Societatem ciuium ſupernorum iter abſoluit anno ętatis 45.

Chri-

Digitized by Google

Chriſti 1631. Præter *generalem*, quam, veluti Nouitius, votis præmiſit *confeſsionem*, ait P. Vincentius, illum à præſente Confeſſario *ſæpiùs petÿſſe abſolui*, quamdiu loqui poterat: vbi verò iam nec peccata verbis, nec dolorem teſtari poterat, *percuſſo ſuppliciter pectore flagitabat beneficium Sacramenti*, quod in ſanguine agni tollit peccata mundi. Satisfactionis loco, patiebatur: & quidquid pateretur, offerebat *Deo*. ita dolore, frequenti Confeſſione, ac ſatisfactione ſeſe perpurgabat. Per 12. dies non niſi bis modicum quidpiam comedit, cùm non poſſet. Inedia hæc inter crebras confeſſiones illi pro pœnitentia fuit. Toto corpore exulcerato, iam induſium in cruſtam indurueràt, & ſiccæ partes ac duræ corpus miſerum, dum ſe verteret, lacerabant. Valetudinarij Præfectus, vt purulentum illud induſium forficibus partiretur, & eius loco aliud ſenſim ægro induceret, conabatur: ſed negabat P. Antonius; verùm aiebat, ſe hoc doloris quicquid eſſet ad finem vſque vitæ pati velle, in gratiam Crucifixi. Sic alternis & corporis & cordis dolore vtroq; ad crebrò vſurpati Pœnitentiæ Sacramenti fructum vberiorem percipiẽdum, ex opere operato, & operantis, ſeſe diſponebat, dum ſe lauandum Chriſti Sanguine, & ſuo ſe pure, ac vlceribus, duratoq; induſio vexandum daret. Hoc idem Sacramen-

Digitized by Google

tum Clypeus illi fuit contra inſidias ſupremi hoſtis. Aiebat ſe ad prælium tentatoris gemino armorum genere eſſe potentiſſimè communitum: *Ieſu* ſanguine, & *Mariæ Dei Matris* gratià. Reſpondebat ergo cogitationibus ſuis identidem hæc ſola, nec aliud: *Verum eſt me peccàſſe: nihil mereor. Verùm habeo tutelarem* Ieſu *ſanguinem, &* Mariæ *matris gratiam*: idque generosè impauidus repetebat, præſente ſemper ad manum Crucifixo cum Imagine, & Roſario Beatiſſimæ Matris, & libello Regularum, quæ quatuor vſq; ad mortem ſibi chariſſima præ oculis & corde habebat, quaſi Berchmanni morientis exemplo: quem etiam Crucifixum, & B. V. Imaginem, Filio ſuo Principi, vt ſe mortuo daretur, petiuit. M. Tereſia de Spiritu Sancto in Cœnobio Carmelitanarum, P. Antonij olim Coniunx 15. Aprilis Confeſſario ſuo P. Eraſmo Marotta Societatis *Ieſu*, Panormi retulit, ſe circa horam 10. quà ipsà horà P. Antonius Neapoli moriebatur, à ſomno excitatam, vocem audiſſe dicentem: *Surge, & ora, quia in hoc puncto moritur*. Adnotauit diem, & horam P. Marotta: & ecce à P. Carafa litteræ Neapoli, quæ P. Antonium 15. April. hora 10. mortalitati ereptum aiebant. Sic moritur iuſtus. At qui iuſtus eſt, per frequentem Confeſſionem iuſtificetur adhuc, qui Sanctus eſt, per eandem ſanctifice-

tur

Digitized by Google

tur adhuc, & dicat Chriſto, & Confeſſario ſuo: Ampliùs, ampliùs laua me ab iniquitate meà, & à peccato meo munda me.

7 *P. Laurentius Maſonius* anno 1631. occubuit *quotidie bis confeſſus*, manè, ac veſperi. Neque id alienum à Religioſiſſimo quantumuis homine videatur. Sciunt viri Sancti de propitiato peccato nolle eſſe ſine metu. Et ille *P. Ludouicus de Ponte* 16. Feb. 1624. morte ſanctà extinctus, cuius & cadauer, & euntem in Cælum animam ſtipare viſi Angeli, qui ipſo S. P. Ignatij feſto die, præ multis viſus eſt in Choro Beatorum, inter Societatis triumphantis Patres, fratreſque conſiſtere glorioſus; qui inter radios *Ieſu* Nomen in pectore ferre conſpectus eſt, vt alia taceam: ille Pater, moriens poſt Sacram Vnctionem, cùm ſolus cum Crucifixo ſuprema miſceret colloquia, hæc identidem quanto poterat ſenſu & contentione ſupplicabundus repetebat: *Domine! cùm veneris iudicare, noli me condemnare!* *P. Iacobus Durand* Flexiæ mortem oppetijt anno 1653. 31. Martij. Conſcientiam quotidianà confeſſione purgabat in morbo ſemeſtri, ſemel quotmenſibus generali de menſe illo expiatione mundatus.

8 Denique in Societate fuère, qui deſiderabant non ab ordinario tantùm Confeſſario, verùm, illo abſente, ab alijs quoque, ac alijs

ac alijs præſentibus præmiſsà Confeſſione abſolui: ac velut in ipſo illo actu mori. Contigit id *P. Matthiæ Roriue* Muſſiponti 9. Ian. 1636. qui horà poſt mediam noctem quartà, vnà cum alijs è lecto ſurrexit. Cùm ecce tibi ſe apoplexià tentari ſentiens, ad Confeſſarium adijt, eumque felici ſucceſſu in cubiculo inuenit; peccata, velut moriturus, omnia expiauit; & cùm abſolutionem acciperet, animam dedit. Sic inità pactione conueniunt aliquando (id quod factum probè noui) cum Confeſſario aliqui, vt eadem quam in generali Confeſſione, ac in alijs particulatim dedère materià acceptà, pœnitentem moriẽtem in ipſo agone, ſigno ab eo accepto, abſoluant. Non abſimile quid fuit id, quod cum *P. Petro Vvrichto Anglo* euenit, quem, cùm in odium fidei in patibulo pendere, ſubtracto curru, inciperet, ſigno doloris paulò ante de peccatis præmiſſo, Confeſſarius, qui propè inter turbam erat, ritè abſoluit. Eccli. 18. v. 21. 22. *Ante languorem humilia te; & in tempore infirmitatis oſtende conuerſationem tuam. Non impediaris orare ſemper: & ne verearis vſque ad mortem iuſtificari: quoniam merces* Dei *manet in æternum*. Certè ſi S. Catharina Sueca Virgo (vt vita eius 22. Martij habet) in ſupremo ſuo morbo bis terue confitebatur quotidie, Si B. Borgia ſingulis item diebus ante ſacrum ſemel, & ſemel

ſemel veſperi ante quietem conſcientiam apud Confeſſarium expiabat; non video cur non poſſimus, vel non velimus per frequentem in morbo confeſſionem ad mortem vſque iuſtificari: vt qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc, & qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc; & arte illà adhibità, quà præteritæ vitæ peccata aliqua cum quotidianis confeſſioni ſubijcimus dicamus *Deo*: Ampliùs laua me ab iniquitate meà, & à peccato meo munda me. quod alij legunt: *Plurimùm laua me: multiplica lauare me: in multitudine, id eſt, exactiſsimè laua me*. Et meritò: nam nihil coinquinatum illuc, quò nos in morte properamus, ingreditur. Inter Confeſſiones autem toties factas maior longè ſpes eſt, vnam quampiam, vel plures, ſi non omnes, factas eſſe cum debiti doloris, amoris, accurationis apparatione. Et qui toties lauat à malicia cor ſuum, & dealbat animam ſuam in Sanguine Agni; cum ſpei incremento, Charitas quoque & gratia Sacramentalis ex opere operato illi creſcit, itemque cumulus ſatisfactionis; & purgatorij ignis Chriſti Sanguine ſenſim minuitur, vel planè extinguitur: augetur efficacitas actuum fidei, ſpei, Charitatis, aliarumque virtutum, quas tunc elicimus. vnde magis exaggerato gratiæ vi Sacramenti auctę cumulo, gloria quoque augetur; dolores ipſi noſtri, & mors, Chriſti morti vnita cedit nobis quaſi pro

Pſal. 50.

Vide Vatablum, & hebr. verſ.

pro pœnitentia in ſatisfactionem; tentationum vis, acieſque, ac dæmonis magnam iram tunc habentis audacia retunditur; auxilia gratiæ cumulantur, quæ hic & nunc ſunt maximè neceſſaria,& opportuna; Ipſa Beatiſſima Virgo, Angeli, & Sancti ad nos in curriculo tanti periculi pleno adiuuandos eò magis ſunt proni, quò nos magis conari vident, vt immaculati aſpiremus ad Societatem Ciuium Supernorum: & diuinæ liberalitatis omnipotens munificentia nunquam ſe ſinet à noſtra diligentia ſuperari. Sed & ſicut deſcendit tunc ad nos dæmon habens iram magnam, ſciens quia modicum tempus habet: ita *Deus*, & Confeſſarius habētes miſericordiam & charitatem magnam, deſcendunt ad nos liberaliter iuuandos, ſcientes quia modicum tempus habemus. Quocirca prouidendum eſt, vt ne nobis ipſi deſimus per accurationem magnam ad abſolutionem ſæpiùs obtinendam. Cum decentia tamen fieri debet frequens illa Confeſſio, & cum reuerentià, vt monet Suarez; & ait huius iterationis cauſam vel occaſionem iuxta vniuſcuiuſque deuotionem prudenter iudicari debere: affertque Richardum, qui dicit, hanc repetitionem decere poſſe, quotieſcunque homo mouetur nouo motu deuotionis, erubeſcentiæ, & doloris. Cœterùm, vt S. Bernardi verbis abſoluam; *Hoc fiduciæ, & conſolationis accipite,*

Suar. de pœn. diſp. 18. ſ. 4. n. 10

S. 3. de SS. Petro, & Paulo.

pite, fratres, vt ad Dominum iam conuerſos non nimis cruciet præteritorum conſcientia delictorum; ſed tantum humiliet vos.

CAP. III. Tertia occupatio.

In viatico ſumendo apparatio, & crebra Communio.

1 P. *Iacobo Ledeſma*, de puritate, & ſuà in Societate ad mortem vſque conſtantià ſollicito Auguſtæ Chriſtus ipſe apparuit, & vtrumque promiſit; & Brixiæ *Maria* Deipara ſolis inſtar reſplenduit, vnà cum comitibus S. Mar. Magd. S. Cathar. Virg. & Martyre, & S. Cath. Senenſi Virgine Chriſto *Ieſu* & *Mariæ* chariſſimà. Mox promiſſo illi vtroque dono, felix auctarium adiecit liberaliſſima *Dei* Mater; fore nimirum, vt rurſus ad finem vitæ, præſentem ſibi Cæli Reginam aſpiceret; id ipſum ſuauiſſimè adpromittente Magdalenà, & Catharinà vtràque: quæ cùm recederent, cantu Ledeſmam ſuauiſſimo recrearunt. Et quidni promiſſis ſteterit & illa, & illæ, moriente Iacobo? Allato certè *Viatico*, Iacobus, manibus atque oculis in cælum ſublatis, clarà voce longam habuit orationem, quà diuiniſſimam *Trinitatem*, omneſque cum Regina cæli Sanctos, ac Beatos inuocans, etiam Societatis Parenti *Ignatio*, quem

Hiſt. Soc. par. 2. lib. 1 n. 64. p. 4. lib. 3. n. 15.

quem cum ſumma veneratione Sanctum appellare ſemper conſueuerat, ſuam animam commendauit, multùm lacrymans; & collacrymantibus qui circumſtabant, quorum viſcera ad conſpectum, & verba tantæ pietatis, inſolitis ignibus æſtuabant. Apertis demum Confeſſario quibuſdam diuinæ erga ſe pietatis argumentis, quæ aperire ad *Dei* gloriam iubebatur, inter ſuauiſſimos animi æſtuantis calores fructum vitæ ſanctæ, mortem ſanctam, accepit. Ioannem Brionium narrat hiſt. Soc. quotidie Angelorum pane refectum ad extremum vſque, pridie quàm moreretur, id eſt 7. Kal. Febr. allatà SS. Hoſtià conſpectà, ad illa verba: *Ecce agnus* Dei *&c.* in extaſim raptum, & ſenſuum impotem diu perſtitiſſe.

Sachin. anno 1580. num. 207.

1594. Coll. Anglic.

2 Annuæ Romanæ de quodam noſtro moriente, cuius nomen in obſcuro eſt, ita habent: Cùm votis pronunciatis, extremum viaticum ſumpſiſſet, illa diſertè verba exclamauit: *Cor meum à me tranſijt, & abijt poſt* Ieſum. Amoris iſta ſunt. à timore amori addet aculeum, & acrimoniam id quod affero. Cameraci *P. Ioannes Le Clerquius* vitam finiebat. Multa in illo in omni vita præclara fuère ſtudij indefeſſi, ſanctæ diligentiæ, charitatiſque ſemper ſui prodigæ documenta. In morbo, & morte, ex omni virtutum choro, quas viuens

1651. 21. Octobr.

amaue-

amauerat, humilitatem, & *Sanctum* timorem elegit. His ornatus *vltimæ* Dei *menſæ* adeſſe voluit conuiua, conſcius mortis ſuæ. In morbo ſæpè illi in ore ille verſus, & nihil illo crebrius:

Quærens me ſediſti laſſus;
Redemiſti, Crucem paſſus,
Tantus labor non ſit caſſus!

Iaculatoriæ.

I

Vltimo viatico reficiendus, ad illa Sacerdotis verba; Ecce agnus *Dei*, &c. in hæc erupit magno cùm ſuo, tum audentium ſenſu. *O Bone* Ieſu! *qui iſthic es agnus mitiſsimus; ſed poſt biduum eris Iudex meus! Eſto mihi verè agnus! & ſuauis Iudex.* Atque in hac ſententia ingeminandà, expendendà biduum vitæ ſupremum poſuit: & poſt biduum, ad iudicium, &, vt ſperare valdè fas eſt, ad cœnam nuptiarum agni, morte ſuaui diſſolutus diſceſſit.

3 *Stephanum Freſen* Treuiris decimo tyrocinij menſe mortalis vita deſeruit ipſo Chriſti Natali die. Dulci erga *Deum* & *Dei* Matrem ſpe accenſus infernum non timebat, *Mariam* non ſine lacrymis identidem ita compellans: *En, Mater; Te inſpirante, & adiuuante ad Societatem Filij tui acceſsi. Fac ergo vt per te in eadem Filio tuo, Tibique ſeruiam, vel certè moriar.* In magno moriendi & deſiderio & ſpe, dolorum acerbitatem ac ſitim ſuam Chriſti ſiti ac doloribus coniungebat;

An. 1621.

Noſtra Chriſti meritis coniungenda.

gebat; cùmq; *Sacratiſsimo Viatico* inſtrueretur ad mortem, vti ſæpè aliàs, & ſemper cum lachrymis vbertim manantibus, illo Sacramento reficeretur, ita tunc vltimùm illo potiri geſtiens, totis quibus poterat vocis viribus, *In hoc eſt victoria*! exclamauit.

4 *Petrus Ribecius* charitate, ac mirà cum *Deo* coniunctione, patiendiq; fortitudine præſtans, cùm 6. Octobris anno 1629. Brugis moreretur, liquidis, & totum animum ſuauiſſimè inundantibus pulcherrimæ voluptatis delicijs perfuſus corde intimo geſtiebat: & coram Christo in Euchariſtia pro *Viatico* allatà præſente plenus lætitiarum cæleſtium deſiderare ſe aiebat, omnes quotquot in vniuerſa Prouincia eſſent vocationis ſuæ vel deſertores, vel in illa dubij, aut illam non æquè ac par eſt æſtimantes, adeſſent coram ad ſuum lectulum mortualem, & ſuam in illo tanti diſcriminis pleno rerum ſummarum articulo felicitatem, dulcedinem, & plenam ſereniſſimæ voluptatis quaſi ſecuritatem oculis vſurparent: illam enim tantam intus eſſe in præcordijs, quantam nunquam exiſtimaſſe aiebat in cor hominis poſſe deſcendere. Simili lætitià geſtientem vidit *Sebaſtianum de Sà* Valetudinarij præfectum accuratà charitate, peritià, & impigritate iucundà planè inſignem Domus Profeſſæ Vlyſſiponenſis, cùm expiraret. Eo qui illi ſupre-

Vocatio.

1654. 23. Maij.

Digitized by Google

ſupremus fuit die ad templum S. *Synaxim* accepturus cùm deſcenderet, dixit, ſe illam per modum *viatici* accepturum. E templo redux, à P. Præpoſito extremam vnctionem expetijt, ſed eam tunc non impetrauit. Altà iam nocte, impensè idem vrgentem tandem ſupremo oleo vnxère; & ille eà ipsà nocte, diuina ſemper corde ac ore verſans, læto fine deceſſit.

5 Dolæ *Ioannes Franciſcus Caſſagnius* Auenionenſis 22. ætatis, quinto Societatis anno à conſummato Philoſophiæ curſu attigit immortalitatis beatæ metam. Hic Parentibus ita exemplo præiuit, vt vbi illum Societati dedidère, parens vterq; ſe alius in aliam religionem abdiderit. Ipſe verò ſuæ vocationis, & abſconditi in myſterio Eucharistico *Dei Ieſu* amantiſſimus, cùm Sacro *Viatico* reficiendus eſſet, in genua ſuper lectulum ſe erexit; & pro ſuprema, ad Cæleſte ferculum præparatione, è conſuetà Sacramenti votorum formulà ſe *Deo* iterùm deuouit. *1636. 26. Septembr.* Formula votorum.

6 *Andreas Dedruſinus* ſedecim annos natus intemeratæ innocentiæ abſq; vlla grauioris noxæ illuuie adoleſcens Tyrocinij anno ſecundo, Viennæ Auſtriæ puram animam reddidit Creatori. Huic pro pretioſo ad mortem apparatè opperiendam commeatu conceſſum eſt, vt ſupremis vitæ, iam occaſui vicinæ, temporibus, cùm ita per morbum *1649. 20. Iul.* P. Ioannes Rottenheüsler in lit. ad P. Vic. Gen. datis.

liceret, ac id ipſe flagrantiſſimè flagitaret; pane Angelico quotidie veſceretur. Vota, quæ ad morbi primordia nuncupauerat, ante Sacroſancti *Viatici* vſurpationem renouauit; vt ſe *Deo* ſuo priùs daret, quàm illum in Sacramento acciperet. Quotidianæ illi Communioni, ac morti pedetentim aduentanti ſe ita comparabat, vt ſacrà lectione ignem illum vellet ſemper accendi vehementiùs, accenſumq; foueri. Legebantur illi S. Auguſtini Selecta Soliloquia, & quædam è Thoma de Kempis de cæleſti Patria; itemq; *Dies iræ dies illa*, *&c.* ac demum commendatio animæ apud migrantes vſitata. Quin &, *Stabat Mater doloroſa*, cùm quaſi canentis in modum recitari audiret, molitus eſt & ipſe vel canens, vel canenti non abſimilis ea proſequi quæ audiebat. Ita diem ab Euchariſtico epulo inchoatum in pretioſiſſimis collocabat. Cùm ad eliciendos altioris erga diuinam bonitatem, ac pulchritudinem amoris actus inuitaretur, licèt ſe horum nihil aſſequi modeſtiſſimè affirmaret, profundos tamen pleni ac efferueſcentis cordis æſtus luculentiſſimis in vultu ſignificationibus prodebat. Ego ad illum viſendum ductus, reperi totum in exquiſita quadam optimè moriendi induſtria occupatum, & cupidum poſtremas vitæ adhuc reliquæ particulas quàm pretioſiſſimis occupationibus adornare; ideòq; cupidè audire

Lectio Spiritualis.

Dies iræ, &c.

Stabat Mater.

quæ

Digitized by Google

quæ extremo tempori idonea dicebantur. Vndeuigeſimà Iulij die repentè hilarior, apud circumfuſos Nouitios ita cœpit: Ecce, mei chariſſimi, iam Dominus *Deus* meus me totum paulatim minuit. Orate pro me. Cras vadam ad Patrem meum. Ipſo migrationis die valetudinarij curatorem interrogauit; Ecqui eſſent adoleſcentes illi qui ad conclaue aduenißent? illo negante vllos eſſe; diſertè iterùm affirmauit, à ſe iſthic viſos. In agone luctanti opem vt ferrent qui aderant, commendationem animæ recitabant vnà omnes. Sub cuius finem ab agone non longo ad ſe reuerſus, & plenè ſui compos, ipſo quo heri dixerat die ad Patrem abijt, extremà vnctione vltrò petità ſemel, Sanctiſſimo Euchariſtiæ ferculo quotidie communitus. Ita longà ſeptem menſium patientià, peccati mortalis ſemper inconſcius, pulchram vitæ innocentiam ſelectis virtutum nobilium actibus, & morte innocentium adornauit.

Quotidiana in morbo communio.

7 Valdè aduertitur à Superioribus, & valetud. Præfectis in Societate, vt æger abſq; viatico non decedat inter tot incerta morborum: vnde præſtat id agere tempeſtiuè. Imò, ſi per morbum id liceat, Vincentius Carrafa Præpoſitus Generalis in literis ad Prouinciales datis illos monet, vt ægris *quotidianam Sacræ Communionis* opportunitatem deeſſe non ſinant. Neque vno in loco id fit, vt ægri

vt ægri Patres dum ſacrificare non poſſunt, ſi morbus id ferat, quotidie Sacram Synaxim accipiant. Nec id ſingulare cenſeri debet. Literæ Vincentij: *Viſum eſt mihi*, inquiunt, *nemini denegandum id ſolatij, nec Sacerdotibus, etiamſi quotidie pane cæleſti veſci vellent.* Et poſtea: *Prouideat R. V. ne vllis, & præſertim Sacerdotibus, deſit hæc ſpiritualis refectio, tum ad incrementum ſolatij, tum ad muniendos ægrotos firmiore patientiâ contra vim morbi.* Sic ibi. Nempe quod Albuquercius ille in periculo naufragij apud Indos fecit, cùm, ſublato in humeros paruulo, *Dei* miſericordiam per illius paruuli innocentiam implorauit: hoc in Communione agit æger; ne in portu vitæ æternum naufragium patiatur, Chriſto, quem iſtic accepit, æterni Patris oculis oſtenſo. Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: ipſe eſt Spiritus oris noſtri Chriſtus, viaticum itinerum æternitatis, alimonia vitæ, antidotum, pharmacum immortalitatis, morientium vita, pignus, & gloria. S. Ioannes Chryſoſtomus ait, ſe id ab eo habere, qui id & viderit ipſe, & audierit, quòd qui de vita hac emigraturi ſunt, ſi myſteriorum huiuſmodi cum pura, ac munda conſcientia fuerint participes, ſpiritum efflaturi, ab Angelis illorum corpora ſatellitum more ſtipantibus, propter aſſumptum illud ſacrum, hinc rectà in Cælum abducantur.

1648. 25. Ian.

Thren. 4. 20.

Lib. 6. de Sacerdotio cap. 4.

SS. Synaxis efficacitas.

Addo

8 Addo hìc, docere quoſdam, & etiam Gaſparem Hurtadum, eum, qui benè valens communicauit manè, debere eadem die, mortis periculo adueniente, iterùm communicare. Alij aiunt nec teneri, nec poſſe: alij deniq; non teneri, ſed poſſe. Imò feciſſe id viros non indoctos, vt æger qui manè ex deuotione Euchariſtiam ſumpſerit, eodem die morbo ingraueſcente eandem iterùm acceperit per modum viatici. Sed præſtat intra vnum diem vnà communione eſſe contentum. Per modum autem viatici vix iterùm ſumenda eſt; niſi fortè vnius menſis, aut, ſi valdè id æger deſideret, vnius hebdomadæ interuallo.

ap. Card. de Lugo de Euch. diſp. 16. ſ. 3. n. 60

Viaticum quomodo ſæpiùs dari poſſit.

9 Sacramentis acceptis quid non ſpei capere debet religioſus æger? Cùm enim ob Sacramenta quibus præparantur ad mortem, plures Catholicos ſaluari putent non vltimæ notæ Theologi; certè qui in Societate moritur, dicere *Deo* poteſt ſpe dulci plenus illud: In pace in idipſum dormiam, & requieſcam; quoniam tu, Domine, *ſingulariter* in ſpe conſtituiſti me. Ibi per eum amorem, quo æternum Patrem, Virginem Matrem, & omnes electos ſuos amat, agendæ illi pro beneficijs totà vità acceptis, & in æternitate deſtinatis gratiæ: petenda de peccatis, & de non eo quo par erat beneficiorum omnium vſu venia; flagitandum, vt vitam habeamus in nouiſſimo

Suar. l. 6. de prædeſt. c. 3. num. 6.

Spes in morte.

Pſal. 4. 9.

Occupationes mentis in vltima Communione.

Digitized by Google

ſimo die, & gaudium noſtrum ſit plenum; vt nunquam nos ſeparari à ſe permittat; vt mortem hanc noſtram vnà cum vita omni anteacta, in odorem ſuauitatis admittat; vt per merita omnium, qui pretioſà morte defuncti ſunt, mortem noſtram in conſpectu ſuo faciat pretioſam; vt deniq; Corpus hoc Domini Noſtri *Ieſu* Chriſti cuſtodiat animam noſtram in vitam æternam. Amen.

CAP. IV. Quarta occupatio pretioſa.

Extrema Vnctio maturè petita.

1 EXtremæ Vnctionis Sacramento, *totius vitæ Chriſtianæ conſummatiuo extremum vitæ noſtræ, tanquam firmiſsimo præſidio, muniuit* Chriſtus, vt docet Conc. Trid. quo munitus æger, *& morbi incommoda, ac labores leuiùs fert, & tentationibus dæmonis calcaneo inſidiantis faciliùs reſiſtit*; &, quod ait S. Iacobus, ſi in peccatis fuerit, remittuntur ei: Vnde in Societate in id incumbitur, vt hoc ſpei, & *exeuntium Sacramentum* maturè detur, infirmo tunc doloris de peccatis, & amoris actus frequentante, atque ad ea, quæ Sacerdos dicit reſpondente. Hoc Sacramentum, vt loquitur S. Thomas, *actualem deuotionem in ſuſcipiente requirit*. &: *immediatè hominem ad gloriam diſponit*. Quocirca

Seſs. 14.

Ibid. c. 2.

Trid. c. 3.

Supplem. 3. p. q. 32. a. 4. & q. 29. art. 1.

Digitized by Google

circa ſi æger per inconſiderantiam, vel per dolores, omittat illud petere; ad ſe id pertinere putent, ſuperior, confeſſarius, ſanitatis Præfectus, & qui ægro adſunt, vt id illi perſuadeant; quò mundior proficiſcatur anima, eò vbi actiones noſtræ igne iudicabuntur. Implorandi omnes Electi *Dei*, qui vnquam hoc Sacramento ſunt vſi, vt nobis gratiam impetrent illud ſuſcipiendi tam ſanctè quàm illud illi ſuſcepère. Suggerendum ægro, vt petat extremam vnctionem. Quid in illa agẽdum.

2 *P. Petrus Caniſius* dum extremùm vngeretur, totus in Beatiſſimæ Virginis Imagine aſpiciendà, & internis actibus erat occupatus. Plura de hoc Sacramento hic paſſim occurrent.

3 *P. Vvolffgangus Grauenegg*, præclarum altæ virtutis nomen, quotidie, cubitum conceſſurus, veſpertinà diei totius expiatione, veluti ſacro quodam extremæ vnctionis imitamento, vſus, in mortuali expirantium ſitu tantiſper ſupinus, crucem fronti, oculis, auribus, alijſq; de more illius Sacramenti, ſenſibus impreſſit, additis accommodatis ad ſingulos ſenſus verbis. Verùm ne tantùm externorum ſenſuum expiatione ſuam circumſcriberet pietatem, frontem cruce muniens internos ſenſus expiauit in hæc verba: *Per iſtam Sanctam Crucem, & ſuam pÿſsimam miſericordiam indulgeat mihi Dominus, quicquid memorià, intellectu, voluntate, cogitatione deliqui.* 1650. 20. Aug.

Digitized by Google

liqui. Tum ad ſenſus reliquos accomodatà cuiuis verborum formulà expiandos progrediebatur, quotidie prouidus ęternitatis; quam per magna ingentis ac pretioſis heroicarum virtutum actibus conditę patientię documenta Oeniponti eſt ingreſſus.

4 P. *Ioannes Sanz* Valentiæ anno ferè 1627. extremùm vixit, Prouinciâ vniuersâ præclarè adminiſtratâ; & virtutis egregiæ magnis exemplis valdè laudatus. Hic ab excitatore manè æger repertus, eodem die viatico inſtructus eſt. Extremam verò vnctionem non niſi ægrè, ac repetitis frequenter precibus impetrauit, quòd mors non adeò propè adeſſe putaretur. Eo dum vngeretur, ipſe reſpondit ad ſingula, tum ceruical ſibi accommodari iuſſit, & omnibus qui aderant (è quorum vno hæc habeo) benè precatus, reclinato in ceruical capite, ſtatim expirauit. Nonnulla quæ admirationem habent de illo poſtea comperta ſunt.

CAP. V. Quinta occupatio pretioſa.

Indulgentia, & Ieſus, Maria *vltima ægri ſuſpiria, verba vltima, teſſera Indulgentiarum.*

1 VAldè accuratè aduertunt Superiores accuratiores, Confeſſarij, Præfectus, Valetudinarij, & ij qui ægros viſunt, adeò-

adeòq; ipſi infirmi, vt nihil prætermittatur cùm aliarum induſtriarum, tum indulgentiarum, quæ tali articulo ſunt opportunæ è Societatis, & quinq; Sanctorum, alijſq; Indulgentijs. vnde curant, vt Pſalmum 50. *Miſerere* ægri dum poſſunt, dicant quotidie; *Ieſus*, & *Maria* in eundem finem ſæpè repetant. curant illis legi indulgentiarum compendia. De P. *Simeone Riuiere* quanto in vſu habuerit vltimo vitæ anno SS. *Ieſu* & *Mariæ* nomina, ſic perhibent Annuæ Toloſanæ: Annum ſolidum, eoque ampliùs, horis ſingulis, ſtato quolibet quartę partis interuallo ſacrum, *Ieſu*, & *Mariæ* nomen fixo conſilio pronunciauit. *1610. pag. 219.* P. *Theodoricus Caniſius*, Petri frater, meritò Pater à *Ieſu Maria* nuncupari poteſt, à ſingulari cum his beatiſſimis nominibus coniunctione, vltimiſq; diuitijs. Hunc ad ſe viſendum Friburgum venientem Petrus ita eſt allocutus: Vide, Theodorice, quid mortis meæ nuncius ſit tibi allaturus. Lucernæ menſæ aſſidente cum alijs Theodorico, Petri Caniſij mors, vti ſolet, legitur. Tum Theodoricus, apoplecticus repentè factus, omniumq; omninò oblitus eſt, etiam legendi, & ſui nominis, atque loquendi. Hoc tamen occaſu memoriæ ne tota illi memorandi facultas occidiſſe videretur, Theodorico *Ieſus*, *Maria* ſemper in mente & linguà, fidelis, & vltima ſalutis teſſera ita hæſit, vt qui nec ſuum, nec aliena

Tota muti oratio; Ieſus, Maria.

Digitized by Google

nomina tenebat, teneret nomen *Ieſu* & *Mariæ*; quique alia pronunciare non poterat, hæc duo ex integro pronunciaret. reliqua turbatè omnia & confusè, iſta ſanctè. Literas ex integro ſe iterùm velle diſcere innuebat; ſed fruſtra erat. Libello ergò precum grandi charactere *Ieſus Maria* inſcribi ſibi voluit, atque hæc duo tantùm legere, & voce exprimere poterat. Legentes tamen audiendi auidus fuit, vſque dum vltimo vitæ biennio ne id quidem aſſequeretur, quod legi audiebat. Manus illi ad omnia vel errans, vel prorſus inutilis: formando tamen Crucis ſigno frequens, & apta erat. Ita ſeptem & amplius annos vixit ſemimortuus, piæ certè memoriæ à fidelitate retenti *Ieſu* & *Mariæ* nominis; cæterùm eorum omnium quæ retrò hæc ſunt oblitæ. Extremo demum oleo expiatus, vocem *Ieſu* tantùm & *Mariæ* hactenus addictam in hæc verba conatu magno adniſus expediuit: *Ad Cælum! ad Cælum!* Tum linguam ſuis iterùm *Ieſu* & *Mariæ* repetendis reddidit. Manus illi in formando Crucis ſigno elanguère, lingua ad balbutiem vſque hebes iam *Ieſum*, iam *Mariam* ſimul, nunc ſingulos tantùm referebat. *Ieſum* dixerat vltimùm, cùm os & linguam ad *Mariam* edicendam componenti, dicto iam *Ma*, vires ad reliqua defuère. Ita ille in ipſo illius nominis medio elinguis toto viginti & amplius horarum ſpacio ani-

mam

Digitized by Google

mam duxit. Angelum vocabant ij qui candidos illius mores longo vſu experti amabant. *Ieſum* dixit, *Mariam* dicebat, cùm conticuit; reliquum perfecturus in Cælo: vbi *Dei* æternùm memor delectabitur, & in memoria æterna erit iuſtus. In fronte, aiunt, poſt mortem ſignum Crucis, quod antea viſum non fuerat, obſeruatum. Obijt Ingolſtadij anno æt. 74. Societatis ſub Ipſo S.P.N. Ignatio initæ 52. Sint ergò *Ieſu* & *Mariæ* nomina in ore morientis. Teſſerariæ enim ſunt hæ voces ad ſalutem noſtram, & expertam alijs opem: atque ex Eccleſiæ theſauro plenariam in mortis articulo indulgentiam promittunt. Rogandus nunc Spiritus Sanctus, ſinè cuius ope illa benè cordatèq; dici non poſſunt, vt illa ori & cordi noſtro nunc atque tunc pronuncianda ita ingerat, vt rem horum nominum ac theſauros conſequi mereamur.

1606. 27. Septemb.

Ieſus Maria pro indulgentiis pronunciãda.

Antiph. Veni S. Spiritus.

3 Certè *Ioannes Baptiſta Archintus* Mediolanenſis, ante initam adhuc Societatem, candenti ferro *Ieſus Maria* nobili pectori inuſſit; vt iam nemo dæmonum, aliorumùe hoſtium illi in Societate quarto ab ingreſſu anno, poſt præclara obedientiæ atque ſui abijciendi exempla, inter dulcia hæc nomina ardentiſſimè ac ſæpiſſimè dulciſſimèq; ingeminata, morienti moleſtus eſſe potuerit, eò quòd ſtigmata Nominis D. N. *Ieſu* Chriſti, & Dominæ noſtræ *Mariæ* Matris *Ieſu* in corpore ſuo

Hiſt. Soc. p.4.l.2.n.7.

Ieſus Maria inuſta pectori.

Digitized by Google

ſuo portaret, geminas expectatæ ſalutis teſſeras.

4 *Matthias VVagner* Auſtriacus Cremſenſis primæ innocentię iuuenis peſte contactus, Talbergæ teneram animam immaculato *Ieſu* & *Mariæ* dedit. Roſarium collo inſeruit, Crucifixum plurimis lachrymis, & amplexu exoſculatus, & allocutus eſt. Addidit pretioſa ad fidelem agonizantium Aduocatam, ad Angelum, & cælites tutelares ſuſpiria, breuibus orandi formis concepta, etiam pro ijs qui morientem iuuabant: *Domine* Ieſu, aiebat, *offero tibi hanc meam mortem pro omnibus meis peccatis; ac pro illis quoq; qui ſe mihi beneficos præſtitere.* Maria *Mater gratiæ, Mater miſericordiæ; Tu me ab hoſte protege, & nunc in hora mortis ſuſcipe.* Ieſu Maria, *mei dulciſsimi amores, amore veſtri moriar.* Deficiente iam voce, ſupremas vires collegit, & dixit vltimum: *Hæc mihi nouiſsima verba pro integra, plenariaq; indulgentia conſequenda ſunto*: Ieſus! Maria! Ita nouiſſima verba dixit: & laxatis, quibus Crucifixum, ac morientium cereum tenebat manibus, ad ęterna conceſſit.

1634. 14. Aug.

P. P. Thom. Iazberinyi, Adamus Aboedt, Georgius Derkai.

5 Antuerpię diem clauſit extremum P. *Ioannes de Tollenare*, pulcherrimis, & inter heroicas numerandis victorijs, ac multa alia dote, inſignis. cuidam per triduum continenter quotidie breui ſe moriturum prędixit. Moribundus ita ſe eſt allocutus: *Vbi hodie erimus?*

1647. 3. Apr.

mus? Et explicatà in ſpem dulciſſimam pietate ſibi reſpondit: *In ſinu* Ieſu, *&* Marię: & abijt.

6 *Ieſus*, *Maria* totum Xauerij morientis erant ſolatium, cùm nihil aliud eſſet, quo ſeſe ad mortem componeret: Ieſu, *fili Dauid*, aiebat, *miſerere mei! Mater* Dei, *memento mei!* Hęc nomina, item Ignatij Sanctum ac venerabile nomen, vnà cum nominibus ſociorum; illi mortis felicis quaſi amuleta fuère. Cùm enim illos habere ſecum non poſſet; ne ſine illis viueret, ac moreretur, veſtrum omnium nomina (inquit Societati Romam ſcribens) veſtro chirographo in epiſtolis ad me miſſis ſubſcripta, ſimul cum ſolenni Profeſſionis meę formulà circumgeſto. Cum his ille nominibus, velut in pręſentium Patrum corona, vitę coronidem attigit. Et inde fortè ſelecta quędam nomina quidam vel aſſeruant, vel ſecum geſtant, futura tunc ſibi pręſidio. Dexteram Xauerij Romę in Domo Prof. habemus in publicà Vrbis confluentis veneratione. Si oblitus vnquam fuero tui, *Societas Ieſu*, obliuioni detur dextera mea, inquit ille. Certè mortuus eſt *Ieſu*, & Societatis *Ieſu* memor. quam ille ſic depingit: *Et ſanè mihi videtur Societas* Ieſu *nihil aliud eſſe, niſi Societas amoris.* Ita in Xauerij corde, & calamo *Ieſus* & amor, ſynonyma erant. In *Ieſu* ergo, id eſt, in amore mortuus, triumphantem *Ieſu*, id eſt, amoris Societatem, cum *Ieſu* & *Mariæ* nomine,

Nomina ſociorum è collo geſtata.

L. 2. ep. 3.

l. 2. ep. 6. Vocatio. Ep. 9.

Societ. Ieſu Soc. eſt amoris.

1552. 2. Dec.

Digitized by Google

mine, veluti teſſera, eſt ingreſſus. Ad quam ille mortem ſummà erga *Ieſum* fiducià ſe comparabat; id quod ſuadebat & nobis: Quid tandem nobis, fratres, inquit, in extremo ſpiritu futurum putamus, niſi ad benè ſperandum, atque ad *Dei* fiduciam nos exacuerimus in vità? Siquidem tum maioribus nos vndiq; cinctos periculis, tentationibus, ęrumnis, vel animi vel corporis viſuri ſumus, quàm vnquam antea. Quocirca par eſt, eos, qui diuini obſequij ſtudio tenentur, paruis in rebus elaborare, ſeq; quàm maximè demittere, atque exinanire, vt ſibi vel minimùm fidant, *Deo* verò plurimùm. Ideò coram ſe habebat Crucifixum, exinanitum *Ieſum*; ideò *Mariam* fiduciæ ſuæ, ſeu ſanctæ ſpei, Matrem ſuſpirabat; & omnes optimè moriendi theſauros in duo hęc *Ieſu*, & *Mariæ* nomina colligebat.

Accuratio minimorum eſt pręp. ad fel. mortē.

7 Marina de Eſcobar *P. Ludouicum de Ponte* à morte ſibi conſpectum perſanctè affirmans, dixit in illius pectore radijs circundatum *SS. Ieſu* nomen fulſiſſe, radijs ad os vſque, ac per omne corpus latè porrectis.

Ieſus in pectore.

Hiſt. Soc. p. 4. 1577. num. 305.

8 *Comatio* Coadiutori morienti ex apoplexia, dimidià ante mortem horà Chriſtus Dominus conſpiciendum ſe prębuit corporis oculis, magnà fulgens glorià. quo è conſpectu frater teſtificatus eſt, ſe ingenti cum lętitià & conſolatione vitam relinquere.

Coloſſ. 3. 17.

9 *Omne quodcunq; facitis in verbo, aut in ope-*

Digitized by Google

opere, omnia in nomine D. N. Ieſu *Chriſti*: inquit Paulus. Quare in hoc etiam nomine moriamur: iuxta frequens illud Alphonſi Rodriquez ſuſpirium: Ieſus, Maria, *mei dulciſsimi amores; patiar ego, moriar ego amore veſtri: totus ſim veſter, & non meus, ita atque ſi nihil prorſus eſſem.*

CAPVT VI.

Pretioſa occupatio in cultu præcipuo SSS. Trinitatis.

1 NVnc, ſi vnquam, laborandum, vt *Societas noſtra ſit cum Patre, & Filio eius* Ieſu *Chriſto*. *P. Ioannes Sebaſtianus* pridie *SSS. Trinitatis*, anno ætatis 76. vitam finijt, multæ, atque inter primos heroës referendæ virtutis vir. Multus fuit in colenda pretioſis, & ſublimibus modis *SSS. Trinitate*; ad cuius diem ſe vità exceſſurum diſertè cùm alijs, tum P. Prouinciali affirmauit. P. *Hieronymus Queyrot* Damaſci mortuus, pro mortis leuamento, & felici apparatione, petiuit ſibi afferri imaginem *SSS. Trinitatis*, & defixos in illam oculos felici morte clauſit; eidem per omnem vitam tenerè, ſolidèq; addictus.

1. Io. 1. 3. 1622. 21. Maij. 1653. 8. Sept.

2 *P. Gaſpar de Georgÿs* Taurinenſis Collegij Miniſter decennio, ſuum erga *SSS. Trinita-*

nitatem affectum, & propenſionem oſtendit etiam in morbo, vbi per ſex menſes vix pelle ac oſſibus hærens, inter acerbos dolores ſuauiſſimæ ſpectaculum patientiæ fuit ſine querela, vel ſigno edito. Præclarè, ac piè omninò dixit ad Sociorum coronam tertio ante mortem die. Cuidam verò ex intimis, Mi Pater, inquit, mi Pater, nunquam credidiſſem, virum religioſum ante ſuum obitum tantà frui animi tranquillitate ac voluptate, quantam ego vix capere poſſum; vt mihi iam videar, minimè quidem dignus, ſed *Dei* mei clementià, cæleſti felicitati religioſis viris deſtinatę, appropinquare. Poſtremò id enixè petijt à P. Rectore, ſocijſq;, vt ſtatim atque animam exhalaſſet, ter Chriſti Domini ad *Deum* Patrem, & Gabrielis Archangeli ad *Mariam* Virginem oratiunculam recitarent in venerationem *SSS. Trinitatis*; præſertim verò in gratiarum actionem pro beneficio accepto religioſæ vocationis, atque perfectæ perſeuerantiæ.

annuę Taurin. 1598.

Religioſo dulcis mors.

Obiit 17. Febr.

3 *Hieronymus Bignottus* cùm Poſnaniæ Theologiæ daret operam, regularum in omni occaſione, loco, tempore religioſiſſimè retinens, ſub mortem P. Spirituali, qui aderat, quaſi rarum dicere aliquid velle videbatur; ſed conantem vires deſtituère: hæc tamen tanquam eorum quæ dicere tentabat indicem, identidem ingeminare auditus eſt: *O*

quan-

quanta eſt lætitia Beatiſsimæ Matris, & cum ea Beatorum Societatis in conſpectu SSS. Trinitatis! Illuc & ipſe conceſſit. 1610. 7. Aug.

4 *P. Alexander Regourd*, à nono ætatis anno Societatis adeundæ ſemper cupientiſſimus, in illà poſtea, virtute, doctrinà, dicendi dono conſpicuus, in Cadurcenſi, cui præerat, Collegio vitam finijt. Mortem adeò non timuit, vt repetito illi veteri dicto planè ſuauiter acquieſceret: *Mortale corpus murus eſt, vltra quem* Deus *eſt*. Vitam quomodo amaret, exemplo à S. P. Ignatio deprompto oſtendit, dum identidem ingeminaret familariſſimum apophthema: *Si longior mea vita, etiam cum incertitudine vitæ æternæ, diuinæ gloriæ propagandæ vtilis eſſet, vellem vel hoc periculo emere acceſsionem illam gloriæ* Dei *mei*. Petità à præſente tùm Prouinciæ Præpoſito vltimùm loquendi venià, & obtentà, ſummà contentione ac ardore ſemineces has voces, ita vt potuit, eluctatus eſt: *Morior in adoratione latriæ* SSS. Trinitatis, *& hyperduliæ Beatiſsimæ Virginis*. 1635. 26. Apr. Hyperduliæ cultus B. V.

5 *P. Ioannes Falco* Moguntiæ vltimum vitæ diem clauſit. Cùm per dolores, & alia morbi incommoda, ſe adeò ardenter quàm cupiebat in *Deum* effundere non poſſet, plenus fiduciâ dulciore, ita *SSS. Trinitatem* alloqui eſt auditus: Tu ſcis, *SSS. Trinitas*, quomodo nil aliud in vita mea quæſierim, quàm vt 1626. 14. Sept. Labores anteacti ſunt ſolatio morienti.

 amo-

amorem tuum omnibus hominibus imprimerem: quæ hunc in finem excogitàrim media, quos labores ſubierim, tu noſti optimè. Quando igitur id agere per infirmitatem iam non licet, ſuſcipe voluntatem meam, &c. Propè iam aberat à ſupremo vitæ actu, cùm à SSS. *Trinitate*, ad *Ieſu*, *Mariæ* ac cæleſtis Societatis memoriam conuerſus, identidem repetebat: O me felicem, ac beatum, ſi forſan hodiè poſt pauculas horas anima mea ad Dominam meam Sanctam *Mariam* perueniat, & Sanctis Societatis noſtræ ſociata præſidibus, æternâ D. N. *Ieſu* Chriſti gloriâ, cum Angelis, ac Beatis perfruatur! Cuidam verò ex ijs: qui aderant: *ſequentem*, inquit, *noctem habebo valdè difficilem: ſed tamen miſericordias Domini in æternum cantabo*.

Deſiderium cæleſtis patriæ.

6 *Hieronymus Cignardus* nobiliſſimus adoleſcens, domi & foris pulchrum ſcholaſtici diuinè ſtudia tractantis exemplar, plenam dulcioris lætitiæ ſegetem colligebat, ex ea quam impreſſam tenerę menti geſtabat diuinæ pulchritudinis imagine. Inde illi Cremonæ ægro mirificè amabilis de bonitate, pulchritudine, alijſq; diuinæ *Trinitatis* veluti dotibus loquendi vbertas, atque ſolatium, hoc ſibi leuamenti ne tolleretur impensè rogantis! Octauà à ſolis vltimo Ianuarij obeuntis horà, nocte 1. Februarij diem ingrediente ſolutus vità Cræmonæ, eàdem horà condiſci-

Pulchritudo *Dei*.

1608.

pulo

pulo cuidam ſuo Philoſophiæ Studioſo Mediolani viſus, & dicere eſt auditus: *Ego vado.* Item aliàs eidem ſe, gloriæ plenà cum lætitià oſtendit, eumq; ſuauiſſimo gaudio perfuſum reliquit.

7 *P. Franciſcus Folianus* diuiniſſimæ *Trinitati*, ſi vllus, voluntate ſummà addictus, Romæ obijt, vltimo vitæ triduo totus in *SSS. Trinit.* cogitatione defixus: quæ illum cogitatio ab ijs, quæ coram dicebantur, &, ab omni doloris ſenſu abſorbere videbatur. Tres digitos in triangulum collectos cordi impoſuit, & vixit! quodam etiam *SSS. Trinit.* veſtigio poſtea in corde reperto, triplici nempe carunculà, inſtar flammulæ, quæ in alterà parte in vnum coaluit, admirante Marſilio Cagnato Medico, teſte oculato. Iuſſus peculiari loculo includi, hoc vitæ ac mortis feliciter actæ tulit elogium plumbeę laminę inſcriptum: *P. Franciſcus Folianus, Societatis* Ieſu, *eximius Sanctiſſimæ* Trinitatis *cultor*. 1609. 17. Sept.

8 *Gulielmus Elphinſtonius* Neapoli moriens, incredibili lætitià exultabat ad ea quę, 1584. 16. April. poſt felix cum Chriſto, B. V. & B. P. Ignatio colloquium, ab Angelo ſuo Cuſtode audierat verba, fore vt per purgatorij pœnas tranſiret; ſed breui ex ijs ereptus, ad Paradiſi gloriam ab Angelo eodem deferretur, vbi B. Ignatius occurſurus eſſet, vt eum coram *SSS. Trinitate* ſiſteret. Ita Angelos, &

Ma-

Mariam præſentes repetens expirauit.

9 Exercitia, prꝑſtans ad mortem apparatus fuère *P. Ioanni Hieronymo* Hiſpali. Inuitati ſacrà Clementis VIII. beneficentià ad Indulgentias Noſtri, ſe S.P.N. Exercitijs excoluère. Inter primos fuit *P. Ioannes* eo ſucceſſu, vt illic, vir aliàs modeſtiſſimus ac prudentiſſimus, dixerit ſe vidiſſe *SSS. Trinitatem* in throno, cui hinc Regina gloriȩ cum omni cȩlitum coronà, inde S. Michaël cum hierarchicis ordinibus Angelorum aſſiſtebat. Ibi ſe plenam peccatorum veniam accepiſſe: & dulciſſimà electionis arrhà cordi ſuo impreſsà donatum. Poſtulanti autem ſibi vt vel in gratia confirmatus peccare non poſſet, vel de vita tolleretur, preces non irritas cecidiſſe. Impetrauit poſterius. Nam breuì in morbum per octo dies mirè ſȩuientem incidit, nullà vitȩ, votis, vel aliter, prorogandȩ mentione admiſsà; cùm diceret, ſe nunquam paratiorem fore ad mortem. Ita ille octo dies Exercitijs, octo alios morbo dedit: & morte ſpei plenà exceſſit ad videndam, & amandam ȩternùm *SSS. Trinitatem*. Sunt qui ſibi prȩfationem de *SSS. Trinitate* legi in morbo deſiderent: *Te Deum Laudamus* perſȩpè repetant: *Gloria Patri*, verò ſȩpiſſimè; vt mortis horam offerant ad maiorem gloriam *Dei* Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: quemadmodum Bedæ canendo morientis vltima vox fuit: *Gloria Patri, & Filio, &* *Spiri-*

Exercitia S.P. Ign. pro morte.

B. V. ſpectata.

1604.

Baron. anno 732.

Spiritui Sancto, &c. S. verò Aug. velut in mortis, ac ęternitatis portis pulſans, *O tres,* inquit, *coæquales, & coæternæ perſonæ,* Deus *vnus: pulſant ad oſtium tuum, Pater miſericordiſsime, deſideria rugientium præcordiorum meorum, & clamores lacrymarum oculorum meorum; vt euadam ad Te Dominum* Deum *meum; vt videam diuitias Regni tui, & videam faciem tuam ſemper; & laudem dicã nomini tuo Sancto.* Solil. c. 37.

CAPVT VII.

Pretioſa occupatio morituri, ad Deum *&* Dei *voluntatem aſpirare.*

1 HOc fecit morti ſe accingens Dux noſter *Ieſus,* tertiò in terram, & in hęc verba effuſus: *Pater, non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Pater mi, fiat voluntas tua. Non quod ego volo, ſed quod tu. Non mea voluntas, ſed tua fiat.* Fecit id vitę ac mortis immaculatę adoleſcens *Carolus Cæſarius* Bononienſis, qui innocentiam ſuam morte innocentium coronauit. Totus ille è *Deo,* & *Dei* vices gerente conſcientię ſuę arbitro pendebat. Sanguinem cùm ſpueret, febri etiam vrebatur, vſq; dum ſenſim iret in cineres. Quicquid fractę à tot ſanguinis egeſti libris vires, quicquid ſitis acerrima, quicquid medicinę, atque alia, quę mor-

Matth. 26. Marci. 14. Lucæ. 22.

morbo circumſtare ſolent, affligerent, Carolus in *Dei* corde, velut in Olympo voluntatis *Dei*, ſedebat quietus, nil petens, nil recuſans. Indicatam ſibi *Dei* voluntatem adeò adorabat, vt ſi fortè in lecto ſeſe verteret, ſi quies imperaretur, eo ſe modo relinqueret in quo à voce imperantis reperiebatur. Ad vicinę mortis nunciatę nomen adeò ſe in *Dei* ita volentis amplexum proiecit, vt Patri mortis nuncio cum ſingulari tenerrimæ hilaritatis ſignificatione dixerit, vt hymnum: *Veni Sancte Spiritus; Et emitte cælitus Lucis tuæ radium, &c.* inciperet. Incipientem, & præeuntem ſecutus Carolus, finitum cum Patre hymnum à capite ipſe iterùm ex integro repetijt, effusà quadam animi corpori vale dulciſſimum facientis exultatione. Et cæleſtibus abſorptus gaudijs, *O felix*, aiebat, *iucunditas*! *&c.* Tum Crucifixum crebro ac dulci oſculo quaſi ſugens, deinde Sanctos quorum lipſana ſecum habebat inuocans, opem etiam B. P. Ignatij, Franciſci Seraphici, Mariæ Magdalenæ, B. Aloyſij, Caroli Borromæi ſuauiſſimè implorabat. Mox Indulgentiarum lucris intentus, animum in omnes partes verſabat, vt ageret, quidquid ad felicem pro æternitate apparatum aptum eſſet. Expiato innocentiſſimo conſcientię ſinu, Sancto viuorum Sacramento pro viatico refectus, iacuit inter æſtus animæ iam *Deum* è vicino quaſi per cancellos proſpectan-

Spiritus S. inuocandus.

Videndum quid adhuc addi poſſit ad ea quæ fecimus pro apparatione ad mortem.

ctantis. Valerent iam vltimùm, aiebat collachrymantibus; parcerent,& pro moriente, mortuoq; Carolo fratre ſuo ſupplices fierent apud *Deum*. idem ſe in cælo viciſſim facturum. ita enim ſe ſperare in effusà erga ſperantes in ſe liberaliſſimi *Dei* miſericordià. Et verò ab illo Caroli morientis ſpectaculo ſe maximos, & acutiſſimos ad ſolidam virtutis viam currendam ſtimulos perſenſiſſe dixit tota illa Sociorum corona. Videbantur omnes præteriti Caroli ardores vltimo illi agonis triduo illuxiſſe: adeò ſanctè reſpondebat ad eas,quæ fundebantur, preces;adeò pretioſis loquendi modis charas circumfuſæ charæ Societatis lachrymas abſtergebat;adeò calebat,ardebat,accendebat;oblitus iam ſe mori, & vires benè valentis in illa quæ agebat, quæq; loquebatur expromens. Vbi Crucifixum amplexu ſtringebat, ibat nunc in oſcula, vt abeunti morientis *Ieſu* voluntati,& animæ abeuntem animam illigaret: iam illum pectori, iam cordi, nunc humero, nunc verò capiti imponebat,inter verba ignea,& geſtus illos quales illorum eſſe ſolent,qui aguntur à *Deo*. Quare abſcondebant à Caroli oculis Crucifixum, ne per ſuos illos æſtus vitam ſibi morte celeriore abrumperet: adeò illi, *Seraphici* carbonis inſtar,ignitus erat animus,corpore ſenſim in fauillas funebres abeunte. Ergò vbi amabilibus petendi formulis ſuum ſibi

Digitized by Google

reddi Crucifixum extorſit, illi tacito oculorum aſpectu, illi ore, illi ſuſpirijs loquebatur. *Quid mihi eſt*, aiebat, *in Cælo, & à te quid volui ſuper terram?* Deus, Deus *cordis mei, & pars mea* Deus *in æternum?* Tum Crucifixum in ſupino pectore collocans: *Faſciculus myrrhæ dilectus meus; dilectus meus mihi; & ego illi.* Mox illum iterùm oculorum dulciore intuitu contemplatus, dicebat: *Paratum cor meum* Deus! *paratum cor meum*. Dolenti de adoleſcentis iacturà cuidam reſpondit: *Hilariter, eia, Pater! magno animo!* Deus *me vult pro ſe!* Deus *me vocat ad ſe! R.V. me offerat diuinæ illi Maieſtati!* Rogatus eo in morbo aliquando, ecquod inſtrumentum ad virtutis ardua maximè idoneum iudicaret, reſpondit Carolus: Frequentem, perfectam, & feruentem ſpiritus renouationem. De inſtante, tunc translato, Annunciationis *Marianæ* die commonitus, & piam *Deiparæ* imaginem intuitus: *O gratia*, inquit, *maxima gratiarum! inter amantiſsima dulciſsimæ meæ Matris brachia emori!* In hoc feſto primùm me *Deo*, & Virgini hoſtiam religioſè deuoui Tyro: dies hic verè meus eſt æternà dignus memorià, in quo ſum expertus, & reperi id, cuius æternùm non obliuiſcar. O quæ, ò quales fuerunt illæ deliciæ! ſi hæc noſſes! ſi experireris! Et certè de religioſis votis alta ac tenera erat in Carolo æſtimatio, & cum diuina voluntate coniunctio. Proditum

Renouatio Spiritus.

Beatiſs. Virgo.

Vocatio.

eſt ab

Digitized by Google

eſt ab ijs, qui intimarum illius conſcientiæ rationum conſcij fuère, Carolum in profundiore quadam abyſſo contemplandę diuiniſſimæ *Trinitatis* abſorptum aliquando, Virgine Deiparà aduocatà, & velut pronubà aſſiſtente Sponſi Matre, Angelo Cuſtode paranympho nuncio ad Sponſi Matrem, ſolenni mentis, animæq; totius ad diuinas nuptias apparatu, Sponſam animam, totamq; ſuam voluntatem Sponſo, *Ieſu* nuptiali ritu, coram cælo vniuerſo deſponſaſſe, antiquà quidem illà, ſed pulcherrimè à Carolo renouatà inuentione amoris. Pauculis ante mortem horis affirmauit ſemel atque iterùm, & meditatà benè ſententià, magno planè auxilio ſibi fuiſſe in via Spiritus, hoc propoſitum ardenter, & crebriùs innouaſſe, cordiq; penitùs inſculptum ſemper circumtuliſſe: *Volo, volo, diuinam voluntatem ſemper in me perfectiſsimè adimpleri*. Spiritum, aiebat, omnem, obedientiam, deuotionem, omnia deniq; virtutis nomina, & res ipſas, collectas reperiri in vna, vnicàq; *Dei* voluntate quàm exactiſſimè ac perfectiſſimè adimplendà. Addebat; ſe vt faceret quod vult *Deus*, libenter in purgantibus flammis vſque ad ſupremum iudicij diem, & ſi ita lubeat, in æternùm quàm lubentiſſimè paſſurum, ſi *Deus* ita vellet. id quod iterùm affirmatè repetijt, facturum ſe amore *Dei*, & voluntatis illius adimplendę gratià libentiſſimè:

Anno 1605 2. Febr.

Quid crebriùs repetendum.

Compendium virtutum eſt velle quod vult *Deus*.

ſeque aiebat probè aduertere quid quantumue dixiſſet. Inſtante iam ſupremo vitæ actu, euocato ad ſe illi, à quo ad æternitatem duci ſe velle dicebat, Patri dixit voce, vt aiunt, tertiatà, & inter mortualem quendam ſonum iam confusà; *Eia, Pater! ad Cælum, ad Cælum! vbi eſt Deus meus! quando illum videbo?* Tum Patrem vltimũ, quaſi peregre profecturus, amplectitur; Crucifixo vltima dat oſcula, & ſocijs inter orandum profuſis in genua, ſeſe quaſi ad ſuauem ſomnum componens animam agit Sabbatho, anno Philoſophiæ 2. De illius virtute, quam è voluntatis ſuæ cum diuina conſenſione hauſit, 140. perſonæ, atque has inter Sacerdotes quadragenis plures, eximium planè teſtimonium dedère: ſeque nonnulli diuinitùs monitos, ac permotos affirmauère ad eximiam de Caroli meritis, gratià, glorià opinionem concipiendam, aut conſeruandam.

Deligendus ductor diligens, & peritus.

Frequens deſiderium videndi *Deum*.

2. April. anno 1606 æt. 21. Soc. 5.

2 *Ioannis Ximenij*, Coadiutoris, ſub mortem interrogati, num abire vellet in Cælum, hæc vox fuit: *Nihil volo, niſi quod Domino pridem ſpopondi, vt ſanctiſsima eius voluntas perfectè fiat.* Benè dixit: *Nam melior eſt Miſericordia tua ſuper vitas.* Et: *Vita in voluntate eius.* Sed de hoc argumento paſſim plura occurrent.

Hiſt. Soc. p. 4. l. 7. nu. 183.

Pſal. 62.

Pſal. 29.

CAP.

CAPVT VIII.

Pretioſa eſt occupatio nunc teſtari quà intentione mori velimus.

1 HIc eſt finis vitæ noſtræ, quem optimo quo poſſumus modo, in *Deum*, finem noſtrum vltimum, referre debemus. Magnus in omni virtute *Ioannes* ille *Ximenius*, æger, breuitate temporis, quod ſibi ſupereſſe didicit è cælo, vſus eſt ad ſolidos theſauros parandos. Ipſe illi morbus adiumento potiùs quàm obici fuit. Nunquam eſt locutus, niſi interrogatus, inquit de Ponte. Simus, ſimus nos boni (aiebat roganti, num cælum deſideraret) *Deoq*; vt par eſt, ſeruiamus; & deponamus curam & ſolicitudinem, de reliquo, relinquentes illud in eius manibus, qui cùm ſit infinitè iuſtus, & bonus, remunerabit nos pro meritis. Et verò petere cælum, poteſt prouenire ex amore proprio. Ita mori deſiderans non ſui commodi causà, ſed ſolius *Dei*, vitam conſummauit eo ipſo die feriæ tertiæ quem ante dies octo, ſiue ferià tertià, prædixerat ſibi ſupremum fore. Ibidem refertur Ioannem ſub idem tempus equo candido vectum adfuiſſe P. Balthaſari Aluarez; eumq; è periculo quodam eripuiſſe, ac dixiſſe: *Quoniam me in vita honoraſti, miſit me* Deus, *vt ex hoc periculo te educerem.*

Hiſt. Soc. ibid.

Parùm loquendum. In vita P. Aluarez c. 45. §. 2.

Cap. 46.

Idem

Sacch. an. 1579. à nu. 184.

2 Idem *Deum* propter *Deum* ſitiendi ſtudium oſtendit *Ferdinandus Garzia* Carauacæ extinctus. Medicus illi, tanquam depoſito, dari iuſſerat quicquid vellet; petenti, ecquid ſibi iucundum fore putaret, horruit; &, Egone, aiebat, *Deus* bone! id petam, quod futurum iucundum ſit? id erit optatiſſimum quod dederitis. Sed vide quàm in ipſo moriendi, ac *Deum* videndi deſiderio ſe ipſe exuerit, ſoli *Deo* quęrendo affixus. Moriturum ſe die S. Thomę Angelici Theologi prędixerat, & verò diſſolui & eſſe cum Chriſto maximoperè deſiderans, hoc ipſum expectatę mortis & *Dei* deſiderium fręnandum *Dei* amore eſt ratus, cùm diceret ſuſpectum eſſe poſſe deſiderij huius fontem, ne fortè ardens ille deſiderij æſtus è proprij non verò è diuini amoris fonte prodiret; neq; tam eſſet *Dei* auidus acquirendi, quàm dolores & vltima faſtidioſæ mortalitatis tædia deſerendi, & cum puris, æternis, ac ſolidis cæli delicijs commutandi. Impleuit vota ſuſpirantis ipſo S. Thomæ die fidelis ille, qui deſiderium cordium exaudit *Deus*: & Ferdinandum, *Maria Diaz* (verba ſunt Hiſtorici) ſanctimonię celebris fœmina octauo poſt die viſum ſibi affirmauit cum coronà in capite ſolis inſtar micante. Sic nimirùm coronatur, cui prę ipſis cęli coronis corona eſt ipſe dilectus *Deus*, cuius videndi deſiderium eſt obeundæ citò mortis illecebra.

Reno-

Digitized by Google

3 Renouanda ergò, ſæpè ad *Dei* gloriam ſummam, in vnione, ſeu coniunctione mortis *Ieſu*, moriendi intentio. *P. Franciſcus Ribera*, dum concionaretur, totus radiare viſus eſt à S. Thereſia. Salmanticæ diem obijt, vir ſanctæ intentionis puritati adeò addictus, vt tertio poſt mortem die viſus ſit excelſo in gloria cœleſti loco, propè thronum *Dei*. Fluebat è *Dei* pectore in P. Franciſci pectus amœniſſimę lucis radius, à quo ille pulchritudine & gaudio inexplicabili perfundi videbatur. id quod pręmium erat quęſitę in omnibus ac ſingulis, quę ſcriberet, quæq; ageret, glorię optimi *Dei*. Vis talem è *Dei* corde in te radium elicere? Collige omnes omnium quas vnquam feciſti, aut legiſti, vel audiſti, vel quas fecerunt, vel ſcripſerunt boni, & ſancti omnes, atque adeò quas habuit ipſa *Dei Mater*, & Filius *Dei*, intentiones; & illis mortem tuam adorna: illius amori & honori offer per manus *Ieſu* & *Mariæ* frigus illud, ſudorem, ſilentium, ſingultus, anhelitus, agonis, ac reſpirandi difficultatem, horam ipſam mortualem, & vltimum illius punctum. Et ſic pretioſam reddes hoc radio in conſpectu *Dei* mortem tuam, facieſq; ſummam è ſummâ neceſſitatum omnium neceſſitate virtutem.

An. 1591. Nouemb.

Radius purę intẽtionis.

Particulatim ſingula ad maiorẽ *Dei* gloriam offerenda.

4 Fecit hanc, memorabile annuis nomen, P. *Ioannes Stizius*, qui de ardentiſſimo emoriendi deſiderio, dum inter peſte infectos vitam æternam per charam mortem quæreret, ſcri-

Coll. Conſtantienſe 1611.

ſcribens; deſiderare ſe illam ait (vt ipſe loquitur) non quòd non timeam mori ob inſequens iudicium (timeo enim mihi, & timui ſemper vltra quàm vel ego dicam, vel alius credat, vtpote conſcius mihi mei ipſius) ſed quòd ſperem *Deum*, vel ob hoc ipſum genus moriendi mihi fore propitium. Itaq; ipſi me offero, & trado in mortem quotidie, quod facio hilariter & libenter. Vtinam autem eam gratiam à Patre miſericordiarum impetrem, vt ſiue peſte, ſiue aquà, ſiue alio quouis modo, dummodo aliquo, *immoler* Deo, *cui me tot modis debeo*! quod dum ex intimo animi ſenſu ſcribo, loquuntur *Deo* defluentes in chartam lacrymæ, & miſello mihi miſericordiam poſcunt. Hæc ille. En vnam benè moriendi intentionem: *Volo mori, vt immoler tibi*, Deus *meus, cui me tot modis debeo*. In quodam ſuo ſcripto hęc habet: Quarto Iulij (19. Iulij obijt) volens, libenſq; votum ſignaui; mortem oppetere, etiamſi communis moriendi neceſſitas non eſſet. idque (ecce intentiones) 1. Ob gloriam *Dei*, cui omnia debeo. 2. In honorem Chriſti pro me vltima perpeſſi. 3. Vt gratiam cæteris eius beneficijs referrem. 4. Vt à meis criminibus pœnas ſumerem. Deniq; vt Chriſti mortem imitarer. Atque eo pacto rem cæteroquin neceſſariam, habeo votiuam. Placeat id Supremæ Maieſtati; & conducat pauperculæ animę meę. Hac intentione eamus & nos,

Qua intentione moriendum.

Digitized by Google

nos;& moriamur cum eo. Ita ille animam in victimam charitatis inter peſte contactos impendit;& mortem aliàs nobilem,tot pręclaris actibus reddidit nobiliorem.

5 Pręclara,eòq;pretioſa,fuit & illa intentio moriendi,quà *Nicolaus Martius* Monacenſis adoleſcens, qui ſuam innocentiam pluribus palmarium virtutum ornamentis condecorauit, & in Philoſophia, cui tunc operam dabat,extinctus eſt Ingolſtadij. Hic Indicam expeditionem, voto etiam firmatam, deſiderio complexus, vt illius iacturam gloriosè impleret,cùm Ingolſtadij peſtilentia magnam ederet ſtragem mortalium, vitam ipſe ſuam ſacrificium *Deo*, annuente illo qui præerat, quæſitiſſimis verbis pro ſalute Sociorum deuouit. Videtur præclaræ optimi iuuenis voluntati obſecundaſſe diuina Bonitas, cùm Nicolaus 21.ætatis, tertio Societatis adeptę anno, innocentem animam, veluti ſacram victimã,pro amicis poſuit catarrho ſubl[illegible]us.Neq; vno plures in Collegio illà l[illegible] internecti sũt. Iuuaret fortaſſe,lectis Rodriquez, Drexelio, alijſq; de recta intentione libris aſceticis, & inſtitutis hac de re meditationibus, aliquot puriſſimæ intentionis, breues, ſed excelſas, & elaboratas artes breuibus verbis concipere; mortem noſtram *Deo* per illas offerre,illas in ſacro inſtaurare, ac in extremi morbi vſum conſcribere.

1634. 21. Nouemb.

6 Hic ego memoriâ repeto, etiam intentionem pretiosè moriendi *P.Humberti Selini.*
1624. 30. Nouemb. Is Dolæ moriens, vltimùm languente corpuſculo, iamq; ad migrandum accincto ſpiritu, hæc ſuprema verba locutus eſt, quaſi vitam ſuam omnem in hocce compendium tribus hiſce verbis referret: *Sacrificanda* Deo *anima*! Hoc agamus, dum viuimus; dum morimur hoc agamus! Mors noſtra ſit ſacrificium animę noſtræ. Sic illam ſacrificare velle viſus eſt *P.Michaël Apathi*, quem annuæ Auſtriæ mortuum aiunt è lue ab ijs quos in feſto B.V. ex-
1655. 27. Aug. piabat contractâ Comaromij, peſte tunc latè graſſante. Repertum à morte chirographum ſcitè ac breuiter teſtabatur cui animam ſacrificaret, cur mori vellet, in hæc verba: Ieſu *patientiſsime, da mihi amore, & honore tui, tuaq; Sanctiſsimæ Genitricis mori! Dei*, ac *Dei* Matris amor & honor optima intentio moriendi.

7 *Ioannes Tagſonius* è Colonienſi Diœceſi,
1640. 4. Apr. vitâ decedit, *Deiparæ* Matri Officio quotidie, ac Roſario, ſub mortem verò hymno *Aue Maris Stella* meditatè recitando addictus. Mirâ, & adſpectantibus periucundâ hilaritate ſe morti proximæ accingebat. Fons gaudij illi fuit, illa erga *Deiparam* religio, & intentio quâ *ad maiorem* Dei *gloriam mori* optabat, cùm diceret, *non timere ſe mortem, rectâ & optimâ intentione armatum*.

8 Nobiliſſimus moriendi ſcopus eſt, pro chari-

Digitized by Google

charitate mori. B.P.Borgia,datis anno 1569. 29.Iulij ad P.Laynez literis,ait ſe habere ſingulare & arcanum quoddam deſiderium moriendi effuſo ſanguine pro Catholica veritate. idq; deſiderium per illum *Deo* offerri vult, vt *Deus* illi efficacitatem det,ac effectum:aut certè,vt,ad minùs,efficiat,inquit,vt mihi ſit aliud quoddam genus mortis atque martyrij,*videre me mori, & non mori cum ſanguinis effuſione pro* Dei *nomine toleratà.* At qui pro *Deo* Martyr non poteſt mori,licèt velit,ſi velit pro fratribus animam ponere,felix vixit. Hac intentione, ac profundà ſimul humilitate mortem ſuam nobilitauit Camberij *P.Andreas Suffrenus*,in Gallia ſępiùs Prouincialis.Pro hoc Lugduni grauiter ægro cùm omnes, & hos inter etiam Coadiutor quidam, *Deiparam* enixiùs precaretur, adfuit pio fratri auguſta Virgo,& eo morbo non deceſſurum P. Andream verè prædixit. Deinde aliquot annorum interiectu, cùm Andreas germanum ſuũ P. Ioannem Suffrenum propè conclamatum iacere audiret, vir humillimus, ac diuinæ gloriæ ſitientiſſimus ad S.Radegundis ædẽ adijt:& ibi ſacratiſſimo ſacrificio operatus, vitã ſuam, tanquam rem diuinæ gloriæ inutilem, pro vità P. Ioannis (magnã dicendi gratià pro *Deo* & animabus plura facturi) redimendà conſecrauit;atq;vt omne mortis diſcrimen ab illo,tanquam vtili viro,ad ſe inutilẽ & ignauum auer- Mortuus 1623. 10. Nouemb.

Digitized by Google

teret diuina Bonitas, flagrantiſſimè flagitauit. Moxq; cùm ab ara diſcederet, Patre Ioanne 1641. vſq; ad annũ ſuperſtite, ipſe febrim perſenſit; à qua poſtea diu multùmq; vexatus, magna in morbo viri humillimi præbuit documenta; rogato etiã loci Rectore, vt ad ſe quẽpiam deſtinaret, cuius manu cęderetur, tanquã peccator *infelix*. Nullam viuendi ſpem admittebat, intento in Crucifixum digito, ad illum, ad illum contendendum eſſe ingeminãs. Ita iſte quia Martyr mori non potuit, pro humilitate, pro charitate, pro gloriæ *Dei* zelo, pro fratre animã poſuit, morte ſupra vulgarẽ tantò nobiliore, quantò nobilior fuit ad moriendum intentio. Moriamur ergò *ad Maiorem* Dei *gloriam*: vt quę eſt vexillum vitæ noſtrę, ſit etiam teſſera mortis noſtrę. *Nemo enim noſtrũ*, vt ait Paulus, *ſibi viuit. Et nemo ſibi moritur. Siue enim viuimus, Domino viuimus; ſiue morimur, Domino morimur. Siue ergò viuimus, ſiue morimur, Domini ſumus.* Frequens iaculatoriarum in morbo precum materia poteſt eſſe iſta quàm puriſſima, & eminentiſſima intẽtio moriendi. e.g. Volo mori, quia amo *Deum*, & ideò volo illi obedire, ſtatuenti, omnibus hominibus ſemel mori. Volo mori, vt nunquam deinceps poſſim *Deum* vel leuiſſimè offendere. Volo mori, vt *Deum* coràm videã, & amem perfectiùs quàm hactenus, & neceſſariò, & in ęternũ cum *Ieſu Maria*, Sanctis Angelis, S.P. Ignatio,

Rom. 14. v. 7-8.

Digitized by Google

tio,S.N.&c. omnibus electis; ad quos aſpiro! Volo mori vt *Ieſum*,& *Mariam* imiter morientes;vt mortem peccati ſtipendium accipiam, pœnaſq;dem pro peccatis. Volo mori,vt viuã in cælo immortaliter cum *Deo*, cum cęlitibus in ęternum. Volo infirmari,pati,mori, ſaluari ad maiorem,ad maiorẽ,ad maiorem *Dei* gloriã.

CAPVT IX.

Crucifixus ægri & moribundi occupatio pretioſa.

1 COlonię *Nicolaus Luillerius* S.I. Nouitius demittendi ſui,ac ad nutũ obedienter omnia faciendi virtute pręcellẽs,ęger tandem ad mortem, à qua ad vitam translatus eſt, cùm doloribus eximiè exerceretur à *Deo*,ab eodem ad illos ferendos etiam robur accepit,notabili planè ad crucem ferendam inuitamẽto. Viſus eſt,inquit Sachinus,ſibi videre Chriſtum Dominum, prægrandi Cruce oneratum,cuius ille veſtigia minori cum Cruce,maiori tamen moleſtià,ſectaretur. Verùm cùm aliquando vidiſſet Dominum graui ſub pondere labantem, & commiſeratus vellet in oneris eius partem ſuccedere; ſeuero ad eum vultu conuerſus *Ieſus*: Qui, inquit,magna,& aliena feras,qui tua, eaq; leuiora,non potes? Hac voce miro amore ſuccenſus quàmplurima tolerandi, relicto ſocijs illuſtri excelſi pectoris

Hiſt. Soc. p. 4. l. 6. num. 102.

Patientià etiam in minimis pretioſa.

ctoris

ctoris exemplo, ad Idus Iulias breuem cruciatum cum æternâ iucunditate mutauit.

1615. 18. Febr. 2 *P. Ioannes Cardim* Phyſicæ Studioſus 30. æt. anno vitam cum æternâ commutauit Bracharę in Luſitania. Huic ęgro, & morienti pulcherrima fuit occupatio Crucifixus. Diſſolui cùm deſideraret, facileſq; ſibi cum *Deo* fore rationes audiret, *Ah! duram*, aiebat, *ſententiam! Reddere* Deo *rationem! Verùntamen miſericors eſt, & cruciatuum meâ causâ ſuſceptorum recordabitur.* Mox extremis migrantium ſacris ritè munitus, inter inundantes lacrymis pietatis æſtus, etiam eos, qui aderant ſui ſpectaculo ad lachrymas permouit; & à Rectore ſeriò petijt, nudus humi abiectus emori, & mortuus in fimetum abijci ad ſepulturam. Mirum illud, & prodigio par viſum quod narrat eius vita: Aegro ſupremùm diuina vulnera ſuauiãte, ipſum Christi Domini ſignum, refixis manibus ac pedibus, ita ſe Ioanni morienti vltrò iniecit, vt famulum amplecti ſuum, eiuſq; colligere velle inter poſtremos anhelitus animã videretur. Et admirabilitatem intendit, quòd immotis in ipſa Cruce clauiculis, vix ęgrè quiuerit ijs rurſum inſeri ſacrum ſimulacrum. In ipſo ergò Crucifixi oſculo placidam animam, quaſi è corpore in *Ieſu* vulnera immigrantem, & ab obuio *Ieſu* amplexu exceptam, reliquit.

[Margin: Fiducia. — Humilitas. — Alegambe cap. 16. — Crucifixus amplectitur morientem.]

1647. 1. Nouemb. 3 *P. Carolus Hoffman* in Gedanenſi Collegio exceſſit ad Collegium Beatorum. Hic etiã

inter

inter ſcholaſticas Theologiæ occupationes, quotidie tamen Beatiſſimæ Virginis Officium cum ſummâ ſuauitate recitabat, Chriſti vitæ. ac morti cogitandæ affixus ſemper. In morbo ſupremo ecquid manu occuleret rogatus à Rectore, Chriſti patientis oſtendit imaginem, & dixit: *Hoc eſt meum roſetum, è quo roſas decerpo; hoc Lilietum, vnde lilia colligo, quoties morbus vim doloris exacuit. En dilectus meus candidus, & rubicundus.*

4 *P. Ludouici de Ponte* (de quo hìc aliàs) post præmiſſam exactam duarum hebdomadarum præparationem, morte præuisâ, & alijs dictâ, poſt accepta Sacramenta hæc ad Crucifixũ vox fuit: *Domine, cùm veneris iudicare, noli me condemnare.* Et poſtea: *In manus tuas, &c.* dixit, & finijt vitam admirabilium virtutum heroicis exemplis illuſtrem. Viſam ſtipare cadauer Angelorum affluentium coronam; conſpectũ inter Angelos, & in ipſo S. P. Ignatij feſto inter Societatis indigetes oſtenſum coruſcans in illius pectore Nomen *Ieſu*, & alia taceo, aut potiùs alium in locum ſeruo. 1624. 16. Febr. Socii in cælo.

5 *Ioannes Vvilhelmi* Nouitius veteranæ virtutis 19. Maij moriens geſtienſq; quid ita plauderet à Rectore rogatus, *Ieſu* Chriſti *Crucifixi*, & *Mariæ* dilectæ *Dei* Matris imagines oculo digitoq; commonſtrans, illa ſuæ tantæ lętitię argumenta eſſe dixit. Atque in illo *Ieſu morientis*, ac Matris Virginis imaginũ aſpectu Annuæ Dõ. prob. Treuir. 1611. Imagines.

repen-

repentè ad Rectorē, *Ibimus, Ibimus*, inquiebat: *Ego hodie: tu, Reuerende Pater, ad D. Laurentij diem: Paulus German noſter non ita multò poſt.* Dixit, & ſecutos breuì, quos nominarat, ad ęternas cum *Ieſu* & *Maria* lętitias pręceſſit, ibi *Ieſum* & *Mariam* non iam in imagine, ſed facie ad faciem conſpecturus.

Hiſt Soc. p. 2. l. 7. nu. 72.

6 *P. Antonius Madridius* multis laudatus, timore magno ſe ad tempus vltimum comparabat. Sed audito mortis præ foribus propinquæ nuncio, repentina quædam in illo mutatio apparuit, quæ illum tranquillitate ſummà compoſuit. Crucifixo collocutus, cùm ſolum ſe putaret, ac habere iam meliùs diceretur, Domine, aiebat, migrare quidem vellem; ſed meliùs mihi iam eſſe nunciant. Tu de me id conſule, quod in tuum maius obſequium cedit. Frequens in ore illi hæc vox interdiu, & de nocte: *Ad ſum, Domine! vt placet, facito*. Patrum coronà circumfuſus, ſuauiſſimè, ac ſapiētiſſimè *SSS. Trinitatem* eſt allocutus. Inde eorū qui aderant aſpectu & precibus lætatus, actis gratijs memorem ſe beneficij fore recepit, & concluſit: Valete, Patres! ego eo. Mox ad Crucifixum: *O quàm vellem*, inquit, *nunquam te, mi bone* Ieſu, *offendiſſe! Quàm vellem vita mihi omnis in ſolo tui amore conſumpta eſſet! Dolet mihi, Domine, quòd offenderim Te! Sed habes vbi diuitias Bonitatis tuæ oſtendas! Tu, Agnus* Dei, *qui tollis peccata mundi, etiam huius ſcelerati peccata*

Velle quod vult *Deus*.

Dolor de peccatis.

tolle

Digitized by Google

tolle. Tu verò, Maria, *Mater gratiæ, Mater Miſericordiæ! Tu nos ab hoſte protege, & horà mortis ſuſcipe!* Et preces, vitamq; abſoluit Compluti. 1563. 12. Ian.

7 *P. Robertus Pecchamus* in Anglia morti vicinus, generali vitę expiatione, alijſq; mortis præſidijs præmiſſis, pridiè quàm moreretur, de Crucifixi *Ieſu* doloribus, ardore, vi, eloquentià, contentione tantà locutus eſt, quantà locutum hactenus neminem dicebant audientes: & ſe nullius per omnem vitam dictione adeò fuiſſe permotos. Inde dolores illos, qui poſtea illum, facto quaſi agmine, operuère, tulit fortiter, & libenter. Deferbuit ille fluctus: & Robertus; alium, inquit, expectabam conflictum, ſed B.V. quam ſemper colui, me liberauit. Cruciari ſe aiebat dolorum quodam incendio: & tamen delicias illi faciebat condimentum omnium Crucifixus: quem manu prehenſum ita alloquebatur, & ſæpiùs: *Amor meus! Crucifixus eſt!* Nocte ſecutà, viſo teterrimo dæmone ſucclamauit: En aduerſarius meus diabolus omnia extrema minatur. Apage, apage, immanis bellua, nihil in me habes poteſtatis. Manè dum Sacrum celebraretur, num Conſecratio iam præterijſſet, petijt; cùmq; præterijſſe audiret, hæc vltima verba locutus eſt: *Itaq; nunc obeundum eſt mihi. Vocat me* Ieſus *Chriſtus; vocat me B.V.* Maria.

1621. 15. Ian.

B. V. contra tentationes.

8 Iam ante hunc eidem occupationi vltimum Spiritum impendit *P. Antonius Yuannes,* 1594. 17. Aug. Cæſaraug.

I vir

vir antiquæ, & per omnia Prouinciæ officia probatæ virtutis. Quatuor vltimos dies totos, quamuis aduerſante morbi pertinacià, alto ſilentio, & intentà meditatione ad extremum vſq; ſpiritum tranſegit. Rogatus ecquid adeò intentà cogitatione animo agitaret; *offerebam, inquit, æterno Patri pro me Filij ſui mortem, ac dolores.* Et in ea fixus cogitatione ſpiritum emiſit.

Offerenda Chriſti mors, & dolores.

1569. 12. Aug.

9 *P. Gaſpar Planus* Crucifixum pulcherrimà fiduciæ ſignificatione ſic poſtremùm allocutus eſt: *Domine* Ieſu! *Nonne veniſti, vt quæreres peccatores? Ecce me peccatorem! Accipe me!* Et iuit.

10 Eodem anno *P. Ioannes Mora*, vir innocens, Vlyſſiponæ mortem obiens, in Crucifixi aſpectu, atq; allocutione longiore ac dulciore, pectus tundebat; quaſi cor pœnitens ad *Ieſum* euocaret. Iam bis percuſſo pectore bis dixerat: *Domine, propitius eſto mihi peccatori*; & tertiò percutere, atq; eadem verba repetere conantem in ipsà verborum illorum pronunciatione pœnitens & felix ille ſpiritus deſtituit; digitis ita, vt in ſuſpenſa dextra ad pectus percutiendum collecti erant, manentibus.

Mori in actu doloris de peccatis.

1620. 21. Sept.

Iuuamur in morte precibus aliorum.

11 *P. Ioannes Amadeus* in Roannenſi, quod regebat, Collegio propè vitæ finem à Virgine quadam, quam *Deo* charam, & multis mirabilibus illuſtrem ſciebat, preces pro quodam grauiſſimè afflicto expetijt. Orauit illa: & ipſum Patrem Ioannem illum eſſe intellexit.

Aie-

Aiebat enim viſum à ſe Chriſtum capite col-
lucente luce quadam argenteà, qui P. Ioan- Moriens trahitur funiculis *Ieſu.*
nem quinq; funiculis ad ſe traheret alliga-
tum, vocaretq; in Cęlum: cùm interea hęc ſug
menti verba audiret ſuggeri pro reſponſo:
*Cum ipſo ſum in tribulatione: eripiam eum, &
glorificabo eum.* Mox P. Ioannes cùm, vltimo vi-
tæ affixus lectulo, nullam ſomni partem cape-
re poſſet, adeòq; metueret, ne mente abalie-
natà extra ſe moreretur; ad eandem miſit, vt
ſomni ſibi aliquid, & conſtantem, ſine vllà
abalienatione rationis vſum ad finem vſq; vi-
tæ impetraret. Oranti Virgini reſponſum è
cælo eſt: *In pace in idipſum dormiet, & requie-
ſcet.* Tota poſtea morientis occupatio fuit ta-
cere, amabili aſpectu Crucifixum tenerrimè
reuereri, & animam reddere in oſculis vulne-
rum Domini ſui, & *Dei* ſui!

12 *P. Emmanueli Iemudo,* Eboræ cùm can- *1623. 22. Oct.*
dentes laminas brachio ſiniſtro admoueri vi-
deret, ita poſcente ſententià medicorum, im-
mortalis patientiæ ſcutum Crucifixus fuit:
quem ille, dum ſiniſtrum brachium vreretur,
manu dextrà prehendens, ori ſæpè ad oſcula
admouebat, & alloquebatur verbis è corde
fluentibus; voce ardentiſſimà conteſtatus, hoc In doloribus quid agendum.
demum ſibi vnicum eſſe in votis, vt illa cru-
ciamenta, & illis maiora, pro Chriſto & eius
fide apud infideles pati poſſet.

13 *M. Martino Tuo* ſuauiſſimæ ac prom-

Digitized by Google

ptiſſimæ obedientiæ iuueni, in Alenconienſi
1628. 1. April. Collegio in acerrimâ morbi vi, ſeu à mente
aberraret, ſeu ſibi conſtaret, vltimum ſolatium
fuit Crucifixus oſculis honoratus. Neq; mu-
ta fuère oſcula; ſed plena teneritatis; dum
breuia, ſed plena *Deo*, hæc verba repeteret:
Tempore doloium. *Meus triumphus*! & oſculabatur! *meus trium-
phus*! & iterùm oſculabatur! *meus triumphus*!
iterùm oſcula, & verba eadem repetebat. &
inter hæc felix mors!

1638. 29. Oct. 14 *Pater* verò *Ioannes Comblet* Heſdinij
feriâ ſextâ, & ferè quâ Chriſtus horâ, moriens,
illud in ore frequenter habuit: *Cum Crucifixo
vixi, cum Crucifixo moriar*.

1582. 18. Nou. 15 *Eduardo Trogmortono* poſt nūcupata pau-
lò ante Societatis vota infernates genij ter-
riculamentis varijs id perſuadere minaciter
conabantur, vt vota reſcinderet, retractaret.
Sed ille Cruce, ac oratione ſe muniens, fortiſ-
Crucifixus dæmones fugat. ſimè recuſabat. Mox victoriam illi plenam, &
quietem attulit, fugatis ab illo truculentis
ſpectris coràm adſpectabilis Crucifixus *Ieſus*;
& ille hilari vultu exceſſit, Sacramentis pri-
mùm ritè perceptis.

Lectio paſſionis Chriſti. 16 Suauior cum Crucifixo mora eſt, ſi
patientis Chriſti hiſtoria legatur, quę infirmo
erit vena luculenta ſolatiorum hauſtorum de
fontibus Saluatoris. *P. Franc. Saſſaranus* ſancti
vulgò nomen obtinuit cùm ſcholas doceret
Magiſter: maior ſcholæ pars Societatem,

alia-

aliaſuè religiones ingreſſa. Deſiderabat ſępiùs inter illa Chriſti morientis verba exſpirare: *Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum*. Aſſecutus eſt votum: paſſionem enim prælegi ſibi morituro petijt: & ad illa ipſa verba expirauit. Ad eius ſepulcrum odores noſtratibus ſuauiores; viſiones plures quibus cælum rectà petijſſe dicebatur, viri celebritatem in maiore apud homines luce ac æſtimatione poſuère.

17 *P. Antonius Padillius* vir magni ſpiritus (de cuius virtutibus plura in vita P. Balth. Aluarez) poſt Sacrum viaticum in mortis & rationis reddendæ timore defixus, & anhelus aiebat: *Si tu, Domine, adeò eſſes erga me parcus, & tenax, atq; ego erga te fui, magna eſſet mea miſeria!* Sed vbi ſolus cum Crucifixo ſuo relictus eſt, quaſi per duas horas in oratione defixus, erecto medio corpore hærere obſeruatus eſt ab ijs, qui eum per ianuæ rimas arbitrabantur. Audiebatur verò pleno quodam ſenſu hæc dicere: *Quid eſt, Domine, quod timeam; cùm mihi dixeris, quòd me intra cor tuum habeas? Si igitur intra cor tuum me habes, eamus, quòcunq; volueris: nihil enim eſt mihi timendum.* Eodem die, poſtquam dixiſſet Confeſſario: *Hac nocte anima mea perueniet ad cælum, vt matutinas ibi cantet*; extremà vnctione munitus, corde læto in has voces, id quod virium ſupererat vltimum collegit: *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi: in Domum Domini ibimus.*

C. 20. §. 2.

Fiduciæ actus ſępiùs iterãdi.

Sumus in corde *Ieſu*.

Digitized by Google

mus. Abſcondamus ergò vitam noſtram cum Chriſto in *Deo*: per quem translati ſumus de
Rom, 5.10. morte ad vitam: *Salui erimus in vita ipſius*. Quare pro panoplia morientis eſt Crucifixus ad preces, ad oſcula porrectus: Lectio Dominicę Paſſionis: Crucis item ſignum, cum aquę ſacræ aſperſione, ac aliàs, ab ipſo ægro, alijſq; expreſſum: vt per ſignum Crucis de inimicis noſtris liberet nos *Deus* noſter. Crucifixo tuo
Iſaiæ 54.4. confixus, *Noli timere, quia non confunderis, neq; erubeſces: non enim te pudebit, quia confuſionis adoleſcentiæ tuæ obliuiſceris*.

CAPVT X.

Dulcis, & pretioſa morientium occupatio, memoria Dei *Matris*.

1 HAec eſt *Mater pulchræ dilectionis, & ſanctæ ſpei*, quod maxima experimenta loquuntur. Inter captiuitatis ęrumnas,
Platus ex hiſt. Soc. 1573. & ſummam rerum omnium penuriam, interq; prædones hæreticos morienti ſuo *P. Martino Guttierez* hęc Mater indulgentiſſima non defuit, quando mortui corpus modeſtè, grauiterq; ipſa curauit, compoſuit, & videri deſijt. Huic antę B.V. Sacellum in itinere equitanti diuino lumine oſtenſum eſt, eam eſſe ſupremam, quam in vita haberet hebdomadam: id quod factum, eo poſt aliquot dies in carcere

vità

vitâ functo. Hæc eſt illa amicta ſole mulier, quæ ſub ſuo illo expanſo Regio, & gemmis referto pallio collectos Ignatij filios maternè quaſi ſub vmbra oſtendit eidem *Guttierio*: *ei ſignificans, ſe illorum eſſe Matrem, eoſq; omnes in ſuam protectionem ſuſcepiſſe, veluti gallina pullos ſuos.* Cuius certè pallij nulla nobis maior eſt vnquam, quàm in illo mortis terrore, neceſſitas.

Sumus ſub pallio *Dei* Matris. P. F. Elias à S. Maria legation. lib. 2. c. 31. pag. 604.

2 *P. Petrus Caniſius* æger, nullum diem, abſq; repetitâ ſæpiùs *Marianæ* Coronæ recitatione abire patiebatur; vt ſic mortis per ſingula coronæ grana memor quotidie, ſub Magnæ illius de ſerpente calcaneis noſtris inſidiante triumphatricis præſidium ad vltimas neceſſitatum omnium anguſtias redactus confugeret, ab ea quam calamo defenderat defendendus.

3 *P. Franciſcus Coſterus* Virgineus *Dei* Matris cliens, illi calamo, linguà, imitatione deuotiſſimus, Bruxellis morti conceſſit, Pſalmo; *Qui habitat*; audito, illa, quæ illic referuntur beneficia grato animo agnoſcens, & vltimum expectans. *Mariæ* ab ipſo partu à Matre dedicatus erat. Morti proximus, interrogatus, *Quis cultus* Deiparę *eſſet omnium acceptiſsimus*? Reſpondit: *Conſtans, quantumuis exiguus.*

1619. 6. Dec.

Conſtantia etiam in minimis B. V obſequiis.

4 *Alphonſus Ouandus* tiro æternum diem inuenit 6. Nou. Hic collecta omnium ſingulorumq; Nouitiorum, quæ in ijs videbat, virtutum decora adeò felici imitatione exprimebat,

1614. Limæ anno æt. 18.

bat, vt omnium eſſet electum virtutis exemplar. At Matri Virgini præcipuà imitatione colendę prælargè addictus, faciebat quidquid ijs commendamus, quos ea in virtute cupimus eminere. A Patre quodam ſub mortem quid demum per illam obtinuiſſet, fidentiùs rogatus, duo dixit, capita reliquorum. Alterum, quòd ſuaui quadam propenſæ mentis facilitate, intentos pronæ in illam mentis oculos irretorto obtutu haberet defixos: ex quo aſpectu ſępè illi ſit natus intimus quidam cordis ardor atq; alacritas, quà ſocors dęmonium, à quo ad plumbeum quendam torporem ſe inclinari ſentiebat, nullo negotio ſuperabat. Dulce quiddam, alacre, generoſum ſibi tunc ſuggeri, & ardua omnia, veluti ceram à facie ignis, ab inexplicabili illa *Mariæ* cor delectantis iucunditate liqueſcere, ſolà Virginis ad amandum imitandumq; propoſitæ recordatione. *Alterum* eſſe, quod inde hauriret, quòd experiretur ſibi lumen quoddam è Cælo affluere vi huius recordationis; in quo lumine perſpicuè videret inæſtimabilem dulciſſimæ Vocationis dignitatem: cui adeò ſe affici ſentiebat, vt diceret ſe, tametſi ſalutis certus eſſet, ſi mundo frueretur, nullis tamen mundi delicijs poſtpoſiturum ingens hoc ac tanti momenti donum. Nihil à ſe cæleſti illà Dominà dignum agi: ſibi fixum eſſe ac ratum, vt, præmiſsà diligentiſsimà ponderatio-

Feruor ſpiritus à *Deo* per B. V. cultum.

Vocatio.

Id agendũ quod B.V. gratiſſimũ.

ratione, id, quod horà quauis, & in quauis occupatione *Dei* Matri omnium gratiſſimum fore intelligeret, ageret, neq; ab eo ſe vllà negligentià, vel tepore ſineret retardari. Propè iam aberat, vt animam ageret, cùm B.Stanislai popoſcit imaginem: & allocutione ſuauiſſimà illum conſalutans, illum rogauit, vt à Virgine Matre Clienti ſuo ſuas virtutes impetraret. A B.Stani. ſlao quid petendum.

5 *Bartholomæus Valditarus* hilaritate amabili admirabilis inter dolores iuuenis, atq; ætate ſenectutis etiam in annis paucis ſità, & morte immaculatà maturus, Meſſanæ inter mortales eſſe deſijt. Increſcente dolorum vi, deficientes vires cæleſtibus volebat colloquijs recreari. Rogatus quà de re vellet ſermonem inſtitui; *De Domina noſtra*, inquit. & ſi quis aliò caſu fortè quopiam deflecteret, ſuauiſſimè admonebat, vt ad argumẽtum rediret, à quo diſceſſerat. Illis quibus animum innutriuerat erga *Deiparam* obſequijs adeò conſtanter adhæſit, vt ea omnia in commentariolum relata exactè ad vltimum vſq; vitæ, ad amuſſim obſeruàrit. Dies integros in *Marianæ* cuiuſdam imaginis amplexibus conſumebat ſuauiſſimè, noctesq; totas, cùm ſomnum capere non poſſet, breuiores ac dulciores ducebat inter delicias Marianas quàm ſi profundè placidèq; dormiſſet. Ibi caſtiſſimi amores, tenerrima oſcula, & illę pectoris, ocu-

1619. 25. Martij. Colloquia de B.V. libenter audienda. Conſtantia in obſequijs B.V.

lorum, animiq; deliciæ, quas experiuntur felices illi quibus *Maria Dei* Mater verè cordi eſt: cuius ille imaginem adſtringens pectori, Virginem ipſam toto pectore imbibebat in cor, dicebatq; ad inuiſentes de illius imagine; Videte, videte quàm pulchra eſt! &c.

Imago B. V.

1627. 6 P. *Matthæus Reguer* Barcinonę moriens, plenà fiduciæ tranquillitate, repentè, paulò antè quàm ſpiritum ederet, ad Beatiſſimam Virginem conuerſus, Pulchrè noſti, aiebat, ò mea Domina! O Mater puriſſima, pulchrè noſti, nullo me graui ſcelere, cariſſimum Tibi & mihi tuum Filium offendiſſe!

1621. 7 Laureti cùm tenerrimas inter ſemper amatæ erga *Deiparam* pietatis ſignificationes moreretur *P. Odoardus Bernauellus*, aliàs *Ioſephus Marianus*, Aſculi in Piceno ſummo manè cuidam Patri ſub aureo *Deiparæ* gloriæ Reginæ pallio eſt conſpectus in veſte Societatis, illà illum ſuum eſſe *Filium* iterùm, tertiòq;, diſertè atteſtante. Agnouit P. Odoardum eſſe is qui hæc videbat: & de illius morbo ac morte poſtridiè Laureto literæ appulère. Occupa te in eius cultu: & ſub aureo illius pallio illius verè filius, *Mariæ* filius, & verus quidem verè *Mariæ* filius, deliteſce.

Moriens conſpicitur ſub B.V. pallio.

Filius B.V.

8 P. *Michaël à Fontibus*, reliogioſum, & *Deiparæ* Virgini ſacrum caput, Indicis aliquando laboribus feſſus, ac iacens, à Regina gloriæ viſitatus, & bono animo eſſe iuſſus eſt: fore

Annuæ Dō. Prof. Valent. 1606.

fore enim aiebat Virgo, vt hæ illi ęrumnę purgatorij pœnarum inſtar eſſent, atq; his purgatus ſecurà morte abſq; vllo ad purgatorium diuerticulo abiret in cælum. Hoc illi per omnem vitam poſtea, ſed morienti potiſſimùm, ſolatium fuit. In eius rei memoriam ſecundà quauis ferià cùm in triclinio, tum in culina conſuetis ſeſe afflictandi exercitationibus boni nuncij memoriam recolebat. Religioſus quidam à virtutis celebritate fide dignus habitus in omnium opinione, dixit hunc Soc. *Ieſu* Patrem, ignotum ſibi licèt, cæleſti Patriæ ciuem eſſe deſignatum. Alius è nudipede, vt vocant, S. Franciſci familià religioſiſſimæ virtutis vir de hoc P. Michaele loquens palàm, paucis, inquiebat, retrò annis ex hac vita migrauit è Societate quidam, cuius anima cæli regna conſcendens obuiam habuit *Deiparam*, Apoſtolorum Principem, & D. Ioannem, S. deniq; Patrem Ignatium. Geſtabat veneranda *Dei* Mater ſuis ipſa manibus Coronam, quà mox beatam illam animam honoris ergò donauit. De quo autem locutus fuiſſet, petenti Archiepiſcopo, *Patrem Michaëlem à Fontibus* nominauit.

Nunc pati eſt purgatorii compendium.

Feria 2.

B.V. ſuo clienti morienti obuia cum corona: & S. Petrus, S. Ioannes, S. P. Ignatius.

9 Potoſij in Perù diem extremum clauſit *Didacus Alphonſus* Nouitius Coadiutor, die, quem ipſe diſertè prædixerat. Diuinæ Matri impenſè addictus, biduo ante obitum ab illa viſitatus, impletus gaudio adeò fuit, vt tegere

1625. 13. Aug.

Digitized by Google

illud planè non poſſet. Negabat tamen viſam
VeſtisBeatiſs. V. ſibi ipſam cęleſtis Dominę faciem, ſed veſtem
duntaxat: à qua pulcherrimè venuſtà, & deliciarum delicias ſpirante ſe ſupra quàm narrare id poſſet affectum. His plenus intrauit in gaudium Domini ſui. Huic ergò conſpecta *Dei* Matris veſtis, vltima & dulciſſima huius vitæ occupatio fuit. Felices, ſi ſub mortem etiam nos illà ſub veſte ſcitè condamus.

Lib. 3. c. 1. 10 In vita Alph. Rodriquez Beatiſſima Virgo oſtendit quà erga benignas maternaſq; illius curas mente ac ſpe eſſe debeamus pro illo mortis articulo, & ijs, quę ſequentur. Aderat
1601. 1. Iunii. morienti *Iacobo Ruiz* Alphonſus, ac ſtatim atq; ille animam egit, coronam B.V. pro illo iam tertiò recitans vidit Iacobum cæleſti Reginæ adſtare ad latus: & coronam porrò pertexens, Iacobi preces potiùs ſibi poſtulandas eſſe intellexit, quem glorioſum videbat. Quid ni ægro hæc legenti vel audienti ad B. V. dicere liceat id, quod Iob olim cum *Deo* lo-
Iob 17. 3. quens dixit? *Pone me iuxta te: & cuiuſuis manus pugnet contra me.*

Annuæ Ro. 1597. 21. Sept. 11 *M. Celſus Finettus* Romę vitam in *Mariæ* ſinu, tenerà, vt ita dicam, morte, amabiliq; vitæ compendio depoſuit. Hic puri candoris, & religioſæ diſciplinæ cuſtos perdiligens, in Societate ſex annos vixit. Palmaris, inter laudes reliquas, in illo dos fuit, amata & præcipuà veneratione culta glorioſiſſima Cæli Re-

gina,

gina: quam ipſe, vt ibidem narrat Collegium
Romanum, in morte viſam, mortem ſibi & ſa-
lutem certò prædixiſſe narrauit; diem quoq; B.V. mortē, purga-
purgantium pœnarum in quadriennium fini- toriumque
tam nunciaſſe. Adieciſſe inſuper Beatam Ma- prædicit.
trem, *M. Antonium Ridolfinum* adoleſcentem
22. annorum, quatuor tantùm in Societate,
quem ipſe in Logicæ ſtudijs habuiſſet condi-
ſcipulum, & fortè per id tempus ægrotabat,
non longo interuallo ſecuturum: non tamen
illi vltra biennium purgatorij carceris finitam
diem. Ac omninò Celſum ſecutus eſt *Anto-* 12. Octob
nius, & ipſe alacritatis ad virtutem omnem
experrectæ adoleſcens, ac pulcherrimo impe-
tu ad virtutem. Hæc nobis per ſuum Celſum
nunciat Virgo noſtra, vt nos excitet amore
quidem ſui, ſed etiam timore pœnarum.

12 *Bartholomæus Mantica* Coadiutor ſub
mortem ſpectatę coràm *Deip.* Virginis Matris
allocutione, ac mentium cæleſtium concentu
exhilaratus putatur veroſimillimis coniectu-
ris. Mortem ſuam prædixit. Sacramentis, & Annuæ
pià lectione recreatus, ad quietem oculos Dom.
clauſit. Sed cæleſtis fuit illa quies. Nam exci- Prob.
tatus, & vultu pulcherrimè, ac manibus ge- Anō. 1600.
ſtiens, in hæc erupit: Hem quale beneficium, Vocatio.
Virgo Sanctiſſima, hem quantum beneficium,
mori in Societate; & mori in hac domo So-
cietatis! Quieuit! Paulò iterùm poſt ad eum
qui adſtabat: Excipiſne tuis auribus, frater, in-
quit,

Digitized by Google

16.Dec. quit, ſuauem concentum? Tacuit! Et breuì admotis pectori manibus cælo ceſſit.

13 *P.Ludouicus Goës* præſtanti ſemper erga *Deiparam* religione vir, cùm propè iam abeſſet à ſupremo vitæ actu, rogatus ab ijs, qui aderant fratribus, vt in ipſos conuerteret oculos: Sinite, inquit, ita eſſe. Nam coram me Sanctiſſima Virgo adſtat. Ita ad illam ęternùm videndam profectus, oculos clauſit.

Hiſt. Soc. 1567. num. 235.

Ibid. n. 91.

14 *P.Emmanuelis Miona* mors ibid. ab afflatis circa ægrum à præſente Virgine ſuauiſſimis odoribus celebrata. Et verò ipſe iam Spiritum ferè extremum ducens quid ita oculos cælo præter ſolitum aliquid ſignificans intenderet rogatus, diſertè dixit, ſe *Deiparam* intueri.

15 *Franciſco Falloxio* cæleſti Virgini religioſiſſimè addicto ipſam adfuiſſe, is Romam perſcripſit, qui Franciſco morienti adfuit Pater. Dicebat ore blando renidens B. Virgo, fore, vt poſt horæ vnius interuallum è mortalitate hac ſit migraturus. Tum verò Franciſcus horam illam ſupremam neceſſarijs maximè ac omnium pretioſiſſimis occupationibus impendit, & obijt. Si nobis vnam tantùm horam ſupereſſe diceret Virgo Mater, quæ tunc ageremus? Eia illa nunc agamus.

Hora vltima.

Videndum quomodo velles horam vitæ vltimam expendere.

16 *P.Bernardino Realino*, cùm diceretur, gratulatione dignam rem eſſe, quòd, vti frequenter optàrat, die Beatiſſimæ Virginis à

Vir-

Virgine aſſumeretur in æternos amplexus; diem enim illum diem Sabbathi eſſe, & Viſitanti Virgini dicatum, atq; adeò gemino titulo *Mariæ* ſacrum, Bernardinus in vltimam quam in hac mortalitate edidit vocem ſpiritu collecto, *O Domina mea Sanctiſsima!* ſuſpirans dixit; & ſacrum cereum manu tenens, recitato ab omnibus, qui aderant voce clarà fidei Symbolo, Chriſti vulnera ſuauiatus, admoto pectori ad amplexum vltimum Crucifixo, factàq; iterùm ſignis vt poterat peccatorum confeſſione abſolutus; dum Chriſti patientis ac morientis Euangelium legeretur, inter eas, quæ ſuggerebantur, igneas aſpirationes, inter odores fragrantiæ, quam afflabat, pretioſam animam, in *Ieſu* & *Mariæ* complexu reliquit anno ætatis 86. Societatis initæ altero & quinquageſimo. Alterà poſtquam expirauit horà, Ioanni Thomæ Lupienſi Notario vigili & attento præcellens pictura oculis obiecta eſt; in quà, maieſtate cæleſti ſpectatiſſima *Dei* Mater, paruulum brachio Filium complexa viſebatur. Pone hanc, S. P. Ignatius adorabundus, & P. Bernardinum Realinum genibus nixum Filio ac Matri velut offerens apparebat. Et verò benignà eum qui offerebatur libenter recipientis ſignificatione, annuebat Patri Ignatio *Dei* Mater. quo in ſpectaculo, dulciſſimà, & cum nullis mundi delicijs conferendà ſuauitate perfuſum Ioannem

1616. 2. Iulii.

B. V. cum S P. Ignatio morientem illi offerente.

nem Thomam extemporalis illa è cęli officinæ veniens imago ab oculis repentè ſubducta reliquit.

1631. 6. Iulij. Maniæ. 17 *P. Didacus de Saura* vir ille, vt aliàs patebit, mirabilis, in morte rogatus, ecquid eſſet potiſſimum quo tunc recrearetur; poſt pium, & breue ſilentium, reſpondit; *Beatiſſimæ V. Matris Præſidium*.

1635. vlt. Aug. 18 *Franciſcus dela Malte* Armenteriæ peſte extinctus, vltimo vitæ die integra tria Roſaria, quorum ſingula 150. ſalutationibus Angelicis conſtabant, etiam in illa peſtilenti febre piè recitauit; vt eò ardentiùs ac impenſiùs pijſſimæ *Dei* Matri agonem ſuum vltimum commendaret.

Orandum tanquam vltimo vitæ die.

1617. 21. Iun. 19 Toloſæ Angelici adoleſcentis Nouitij *Franciſci Reuoulz* pridie feſti B. Aloyſij tenerrimæ lætitiæ plena vox fuit: In cælum, in cælum ibimus! B. Virgo meæ cauſæ patrocinium ſuſcepit. Ipſo B. Aloyſij die diem clauſit, ita vt quarto ante die prædixerat.

1571. 20 *P. Ioanni Martinio* Toleti, ſunt, qui *Deiparam* (quam vnicè venerari ſolebat) apparuiſſe moribundo, & cæleſtis ſolatij plurimùm attuliſſe affirment.

1633. Ciuitas cordis. 21 *P. Iacobus Piot* Virduni æger, & per aliquot dies mutus, in vigilia Aſſumptionis B. V. ad noſtros, O quanta, inquit, eſt illa, quæ mihi à Chriſto in cælis gloria præparatur: & quàm exundans idcircò fluminis impetus, qui lætificat

B. V. ægrum inuitat ad cælum.

ficat Ciuitatem cordis mei! Eia, videtis Virginem, quæ me ad Cælum inuitat? Cùm verò ſubdubitarent nonnulli, an hæc ab homine mentis ſatis compote dicerentur; P. Iacobus tam clara dedit ſanæ mentis argumenta, vt nefas fuerit dubitare. Addebat, ægrum ſe corpore, at non mente: atq; ad affirmandam horum, quę dixerat omnium, veritatem, ſequenti die ſe de vita abiturum. Abijt ipſo *Deiparæ* Triumphatricis die. 15. Aug.

22 *M. Franciſco Caietano* inter feriam 6. & Sabb. Sanctum, noctem ſupremam agenti dies æternus illuxit. Hic auditus eſt Beatiſſimæ Virgini dicere, cùm ſe à nemine audiri putaret: Quà de cauſà huc veniſti, Mater *Dei? Obſecro te, fac vt animam meam Filio tuo reddam.* Quæ vbi ab ægrorum curatore audita eſſe intellexit, interpoſito diuini amoris nomine, rogauit, ne vlli eorum, quæ nocte audierat, quicquam ediceret. Aliàs ad Crucifixum auditus eſt dicere: *Tolle me, Domine, de hac vita mortali: & per tuam miſericordiam deduc me, vt gaudeam tecum, & cum Sancta tua Virgine Matre Maria.* Inter Litanias vbi S. P. Ignatij nomen audiuit: *Obliuiſcere,* aiebat, *Pater mi, eorum, quæ deliqui: recordare me eſſe Filium tuum. Nunc neceſſaria mihi eſt tua protectio: intercede pro me, vt hinc abeam ad videndum vnà tecum Chriſtum meum.* S. Xauerium inuocantis facies viſa eſt à fratrum quodam ſingulari quadam

1601. 10. April. Vid. hic c. 20. n. 6. Deſid. caeleſtis patriae. Ad S. P. Ignatium.

pulchritudine emicare. Hæc, & his plura de illo eius vita.

23 Donum perſeuerantiæ,ſeu finalis gratiæ, de condigno certum eſt nos non mereri. Quare ad Matrem gratiæ eundum eſt; vt illa tales nos faciat,quales fuère de Societate illi, qui illi maximè placuère, ac ſub illius præſidio feliciſſimè ſunt vità functi: vt faciat nobis filijs Societatis ſuæ id,quod fecit morienti Carolo filio S.Brigittæ, cùm dæmones ab illo arceret,eiuſq; animam in Paradiſum deferret: quod deniq; eidem Sanctæ de ſuis promiſit, dum dixit: *Quamuis ſic ſublimiter ſedeo,tamen audio amicos meos in terra exiſtentes,mihi quotidie gemitus fundentes,& lacrymas. Video labores eorum,&c. ideò viſitabo eos; & collocabo eos mecum in ſede mea, quæ ſpatioſa eſt, & omnes benè poteſt capere &c. Ego chariſsima Domina eorum, & Mater,obuiabo eis,& occurram eis in morte; vt etiam in ipſa morte conſolationem,& refrigerium habeant: & collocabo eos mecum in ſede cæleſtis gaudij; vt in brachio dilectionis perpetuæ,& æternæ gloriæ, cum exultatione immensà æternaliter requieſcant.*

Reuel. l. 1. c. 19.

B. V. prōpta eſt vt nos iuuet in morte.

24 *P. Ioannes à Campis* Beatæ Virginis Roſarium manibus terebat aſſiduè. Nullum diem Sabbati vacuum abire ſinebat,quin aliquam de B.V. hiſtoriam narraret. Sub mortem ad quendam conuerſus; *O ſi noſſes*,inquit, *mi Pater, quantum in morte afferat animo ſolatium,*

B. V. cultus, ſolatiū morientis.

tium, Deiparam *ſingulari ſtudio coluiſſe*! Similis huic eſt illa vox *P. Franciſci de la Hamaide* Dionanti morientis: *Incredibile eſt quomodo iſta miſericordiæ Mater ſuos clientulos iuuet in iſto tranſitu. Ego certè ſic ab illa me animatum ſentio, vt licèt corpore deficiam, animo tamen potentior fiam.* 1654. 19. Ian.

25 Oropeſæ moriens P. *Alphonſus Guillermus* narrabat beneficia *Dei* Matris, cuius ope ſeruatus eſſet in mari, ne in Anglos piratas incideret. Solatio illi fuit, quòd moreretur ipſo *Dei* Matris die. De illo ſic annuæ: Magnâ lætitiâ mortis nuncium excepit, *Deo* grates agens, quòd in Societate moreretur. Peractâ igitur totius vitæ Confeſſione, ipſo die Purificationi Virginis ſacro deceſſit, cùm & in morbo, & antequam in morbum incideret, quotidie bis confiteri ei ſolenne eſſet. Oropeſ. 1594. 2. Febr. Bis quotid. confitetur.

26 *Thomam Stilintonum* Anglum in Meſſanenſi Soc. *Ieſu* tirocinio morientem ſacrâ obedientiæ religione coactum hæc de ſe dixiſſe teſtantur qui illi adfuère. Aiebat ſibi in Flandria inter precandum de ſalute ſatagenti, & abſorpto, viſam Beatiſs. *Dei* Matrem inter Beatos Patres *Ignatium*, atq; *Xauerium*: à qua Thomas manu ſe prehenſum dicebat, & ductum per viam quandam pulcherrimæ amœnitatis, ad fabricam quãdam inſigni opere auguſtam. *Huc ingredere*, aiebat virgo Thomæ: *hæc erit habitatio tua*. Auguſtam illam mo- 1617. 15. Oct.

Digitized by Google

lem aiebat Thomas fuiſſe *templum Societatis*. Tum ad BB.PP.Ignatium, & Xauerium verſà oratione dicebat Virgo: *Hic iuuenis veſter eſt; habetote illius curam: ego illum vobis committo*: ita videri Virginem, & omnia, deſijſſe: at ſe flagrantiſſimum in ſe Societatis ineundæ deſiderium perſenſiſſe; ac ſingulari deniq; ope Virginis in eam penetraſſe. Id certè per illam à *Deo* ſperamus omnes vt nos in Societate felici morte defunctos in auguſtum triumphantis gloriæ *Ieſu* templum inducat, dicatq; : *Hæc erit habitatio tua*.

Annuæ 1615. *Sancta M. Mater* Dei *& Virgo, &c.*

27 *P. Adrianus Pleunius* Brugis moriens optauit vt ſibi in extremis poſito formula votorum, & formula quà ſe B.V. Sodales dedicant legeretur.

CAPVT XI.

Beatæ Virgini munuſculum aliquod pro felici morte offerre.

1 P. *Petrus Scarga* cùm ſuprema ſibi inſtare aduerteret, quotidie cibo Euchariſtico refectus eſt, etiam ipſo, quo deceſſit die. Paucis ante diem vltimum diebus, vltimum Ceſtochouienſi *Deiparæ* donum miſit, cereum candidum, quem ipſe manu & arte ſuà, vltimis in illum impenſis viribus conflauerat. Et fuit is cereus imago P. Petri optantis

Annuæ Cracou. 1612.

Digitized by Google

tis in Marianis obſequijs ardere, conſumi, lucere, liquefieri, & extingui. Et verò ſtatim accenſus pro imagine illa thaumaturgæ Virginis cereus ita ſuo ardendi munere functus eſt, quaſi legatus Petri apud Virginem: vt quo tempore Petrus inter mortales viuere, eodem cereus pro *Mariæ* aris ardere deſierit. Eodem & Petrus, & cereus tempore extinctus eſt. Ita defuncto eo, à quo quis miſſus eſt, Legati munus expirat. Sunt qui cereum, qui in Ara B.V. Lauretanę ſub vno ſacro arſerit, ſibi pro morte curent: eumq; ardentem ęgri in manu quotidie habeant, eliciantq; actus fidei, ſpei, charitatis, Contritionis.

Cereus ex altari B.V. Lauretanę.

2 *P. Iulius Cæſar Recupitus* pro felici morte ſuggerit ex vſu fore id, quod è Societate ſcripsère, ac fecère alij quoq; non ſemel. ſi quotidie vnum aliquod donum, veluti floſculum, ſeponas, pro puncto mortis: vt è collectis omnium vitæ dierum floſculis, in hora mortis tuæ inuenias textam *Mariæ* corollam. Floſculus, ſeu donum, eſſe poteſt mortificationis actus aliquis. e. g. occaſione ſe dante refrænare linguam, ne in verba turbida efferueſcat; dicendo interea intra ſe: Sit iſte Beatiſſimæ Virgini floſculus diei hodiernæ, pro corolla perficienda in articulum mortis. Idem de oculis ne in fœminas, vel in aliquam curioſitatem, ſe effundant coërcendis, idem de gula bolo aliquo ciboùe fraudandà, & quotidianis

Tr. 1. induſtr. 7.

Quotidiana, & crebra ſui uictoria pro felici morte.

Faſciculus florum B. V. donandus in morte.

dianis id genus occaſionibus dicendum. Quotidie, minimùm ſemel, ſtudio placendi, aut rem gratiſſimam faciendi *Deiparæ* Virgini, ſimile aliquid agendum, pro ſolatio mortis tuę. Atq; hanc in rem libellus fieri cum hoc titulo poteſt: Faſciculus corollę floſculorum à me N. N. maximo peccatore collectorum, & Beatiſſimę Matri in mortis meæ puncto offerendorum inchoatus anno * menſe * die *. Libellus hic veſperi Cruce ſignandus, ſi floſculi offerendi non ſis oblitus. Si verò nullum eo die Virgini floſculum obtuliſti, O. Signum apponendum, quod te die ſequenti admoneat, vt diei præcedentis negligentia ſuppleatur. Ita omnes anni erunt anni collectorum florum, & coronæ benignitatis pro vltimo die vltimi anni tui. Sub mortem libellus Virgini exhibendus: aſpergendi floſculi pretioſà aſpergine Sanguinis Filij illius morientis *Ieſu*. Ait ibi hanc praxim ſuauiſſimo ſolatio fuiſſe non vni inter moriendum pulcherrimis Paradiſi delicijs affluenti, ridenti, morienti. Et ipſe *P. Recupitus* altero poſt illum induſtriarum librum à typographo finitum die, tanquam conſumato opere vltimo, Neapoli è vitâ exceſſit.

Singuli dies dent floſculos ſuos pro ſerto B. V. in morte.

1647.

Roſarium mortis.

3 *P. Didacus Martinez* recitabat quoddam *Roſarium mortis*, vt ipſe appellabat. Ad minores Roſarij calculos dicebat: *Domine mi* Ieſu *Chriſte, concedat mihi Maieſtas tua bonam mortem, per Sanctiſsimam Mortem tuam*. Ad

glo-

globulos maiores, intercalare ſuſpirium illi erat: *Maria Mater gratiæ! &c.* quod in fine poſtea illis verſiculis abſoluebat: *Gloria tibi, Domine, qui natus es de Virgine &c.*

4 Eat in memoriam poſterorum,& ſcholas docentium, aliorumq; exemplum *Magiſter Iacobus Mloczki*, qui vix peracto in Societate octo annorum ſpacio, dum iuuentutem in ſcholis bonis literis,& optimà pietate erudiret,decerptus eſt.Hunc annuæ ab admirabili ſe ad moderationem in omnibus componendi,ac lectionem ſacram per omnem vitam, at in morbo maximè, etiam inter punctura acerbiſſimas, attentè audiendi, atq; adeò ab aliarum religioſo Magiſtro dignarum virtutum ſtudio ita laudant, vt mores & nomen Angeli occupàrit. At B. Virginem pręcipuà veneratione proſequebatur. Quotidiana illi munuſcula pro felici vitæ fine dedit cõſtanter quotidie Officium, & Roſarium, quotidiani & muneralis penſi inſtar. Neq; parcam expertus liberaliſſimam Virginem Matrem,decimo ferè ante vltimum die,qui à ſacris luminibus,Beatiſſimę *Deiparæ* Purificatæ illuſtris & ſacer erat, Patri cuidam à templo reduci, cùm de Beatiſſima Virgine colloquerentur,Reuera,inquit M.Iacobus,hìc mecum duabus alijs comitata Virginibus fulgenti admodùm formà & decore fuit, ſignificans, me breuì hinc ad cæleſtem Societatem

Rigæ 1505 n. 19.

Lectio ſacra.

2. Febr.

Modicum adhuc ferendum.

tem

tem migraturum: modicum interim adhuc ferendum. Et biduo ante mortẽ, valetudinis ſuę præfecto fratri: Magnos, aiebat, hìc habuimus hoſpites, exhilarante me pręſentià ſuà Beatiſſimà Virgine. Addidit, ſe in cubiculi medio currum gloriæ Beatiſſimę Matris intueri, quo illa animas in Cælũ auehere ſoleat. In agone oculos in Crucifixum, digitum in abducturam ſe *Deiparam* intendit: & felici morte currum illum conſcendit, cælo, vt ſperamus, inuectus.

Currus gloriae B.V. pro morientibus.

5 Offeramus illi nunc munera: non ſinet ſe vinci: liberaliſſima eſt. *Plenus equidem aquæductus, vt accipiant cæteri de plenitudine. Mariæ* Vnigeniti Filij mei glorioſæ Genitrici (inquit S. Cath. Senenſi *Deus*) à Bonitate mea concesſum eſt, propter Incarnati verbi reuerentiam, vt quicunq;, etiam peccator, ad eam cum deuotà veneratione recurrit, nullo modo diripiatur à dæmone infernali. Hæc enim eſt à me electa, parata, & poſita, tanquam eſca dulciſſima, ad capiendos homines, & præcipuè animas peccatorum.

S.Bern. de aquaed. ap. Bloſium Conclauis animae c. 1. n. 16.

B. V. Eſca dulciſſima.

CAPVT XII.

Pretioſa occupatio morientis eſt ſacra ſupellex, quà prouidenter quidam ſe inſtruunt.

1 EST *Crucifixus*. de quo ſatis c. 9. B. Aloyſius extremis vitæ diebus habuit ad pectus

pectus æneum *Crucifixum* Indulgentiâ Pontificiâ doratum. In Domo Profeſſa Romana eſt crux elegans, & illâ vſi olim Card. Bellarmini, totq; Patrum memoriâ venerabilis, quæ noſtris morientibus porrigi ſolet. Alterâ eius parte imago eſt Crucifixi *Ieſu*, alterâ Beatiſſimæ V. Matris.

2 *Corona, vel Numiſmata Chriſti, B. V. quinq; Sanctorum, vel S. Caroli Imaginibus, indulgentijs nobilia*, ſi quæ fortè æger habeat. Alij illa collo, alij brachio appendunt è corona, vel roſario *Dei* Matris.

3 *Cereus Lauretanus*, vel alius die Purificationis B. V. benedictus, & accenſus. Qui ab ægro ſibi adhuc præſente identidem manu tenendus eſt: & eliciendi actus fidei, ſpei, charitatis, ac alij quos inter moriendum vellet elicere: quos fortè tunc elicere non poterit, quando is illi vltimò porrigetur. *P. Lucas Craſouius* primus è Polonis PP. in Societatem admiſſus, primus eorundem, ceſſit è vita. Hic accepto imminentis mortis nuncio, conſcientiâ expiatâ, reliquiſq; præmiſſis, morti iam proximus, eas, quæ Romano in Collegio typis datæ ſunt patientis Chriſti *imagines*, accenſo ſacro morientium cereo, ſibi præ oculis collocauit, illius inſtar cerei in diuinis obſequijs ardendo conſumi deſiderans; & illis aſpiciendis alto cum ſilentio per quartam horæ partem attentè, ac gemens, atq; ſuſpi-

[Margin: Vid. c. 20. à *n.* 16. & c. 41. à n. 16. hic.]

[Margin: 1571. 21. Oct.]

[Margin: Imagines patientis Chriſti.]

rans eſt immoratus. Mox migrantium preces è Breuiario ipſe indicans, eas recitari iuſſit, ſingulisq; reſpondit; in mortem lenem deinde ſuauiter reſolutus. *P.Gonzalus de Medeiros* ante initam, quæ illi nihildum innotuerat, Societatem, cùm ſe aſpero vitæ inſtituto dediſſet, & à ſtimulo carnis vſq; ad deſperationem propè vrgeretur, mæroris vnicum ſolidumq; ſolatium accepit ab Angelo: quem vbi vidit, & latinè hæc verba ingeminantem audiuit: *Confide, tu ſaluus eris: Confide, tu ſaluus eris*; toto animo ſanctiſſimè conquieuit, & ſimul relictum ſibi ad Societatem *Ieſu* complectendam intimum quoddam illicium ſenſit. In Societate, ſe affligendi erat adeò auidus, & orandi, vt ſenas quotidie orationi horas impenderet. Morti proximum vbi ſe aduertit, aduocatis Patribus, & cereo ſacro accendi iuſſo, *Credo in* Deum *Patrem*, & reliqua Symboli dixit, fidem profeſſus. Tum; In hac, inquiebat, fide inſtitutus ſum, in hac vixi, in hac morior, teſtorq;, ſi fortè aliud in extremo agone excidat mihi, iam nunc indictum, & irritum velle. Et prehenſo generosè *ardente cereo*; vt lumen hoc, inquit, oculos illuminat corporis; ſic ego credo à Domino *Ieſu* illuminari omnem hominem venientem in hunc mundum, quia ipſe lumen verum, & æternum eſt. Dixit hæc: & plura inflammato ſenſu addidit; ac demum Sacramentis acceptis, animam dedit.

Fiducia.

Actus fidei.

1558. 4. April.

Digitized by Google

dit. *Sanctorum Reliquiæ deliciæ pietatis.*

4 Ad Sanctos paramus iter; & cælo quaſi iam imminemus: ideòq; meritò illorum reliquiæ, tanquam ſanctæ ſanctorum animorum exuuiæ, præ oculis habendæ: vt cum illorum corporibus ſimus, dum adhuc ſumus in corpore, cum quorum animabus erimus, vbi fuerimus extra corpus. Quocirca ſolent ægri in Societate præcipuas quaſpiam reliquias vel è collo geſtare, vel ad lectulum, aut in manu habere. *Leopoldus Frey* Nouitius cùm Viennæ mortuali iam in lectulo decumberet, ſacras è Spina Coronæ Chriſti, & *Deiparæ* Matris Subucula, & è S.P. Ignatio reliquias inter primas curas optauit, vt ſemper haberet ad manum. Coram his in varias cordis innocentis ſcintillas, velut ignis, effuſus, maximè cùm ſe ſine arbitris eſſe putaret, aiebat: Domine, ſi vis, potes me ſanare. Veruntamen non mea, ſed tua voluntas fiat: non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Ieſus, Maria, *mei dulciſsimi amores, vobis viuo, vobis moriar. moriar ad gloriam veſtram. Vtinam mille mortes, mi* Ieſu, *amore tui moriar! Tantùm doleo, quòd tam parùm amore tui, & pro te fecerim, & paſſus ſim.* Sic ille ſe ſacrà illà Spinà coronati *Ieſu* compungebat ad amorem: Inuitabat SS. Menſium ſuorum aliquando Patronos, vt eſſent etiam diei vltimę: ideòq; contextum illorum catalogum ſibi prælegi, veluti Litanias, petebat, vt menſes omnes, &

1644.

Iaculatoriæ.

Litaniae Sãctorum menſis.

M 2 men-

menſium vnà Præſtites in horæ vltimæ ſubſidium venire iuberet,ſeu potiùs inuitaret.Neſcio quam alienam à veteratore ingeſtam cogitationem paſſus, exclamauit, ſæpiùs iſta ingeminans: *Nolo,noló facere! malo mori millies! malo damnari! non faciam! non faciam! Mi* Ieſu,*tuus ſum,non faciam.* Quid illud cogitationis fuiſſet, atq; num ſerenà etiam ab illius cogitationis turbamento conſcientià moreretur interroganti reſpondit, inutilem, & ſecularis olim leuitatis fuiſſe cogitationem: ſe tamen mori conſcientià ſerenà vſq: ad fundum. Ipſo mortis ſuæ die,Patri ſuo præſenti vale & gratias dixit,quòd annuiſſet,vt in Societatem admitti poſſet. Rogauit etiam, vt ſi fratri religioſę vitę deſiderium inijceret *Deus*, ne obluctaretur. Sineret illum *Deo*:cui adhærere quàm bonum ſit, nunc demum ſe pluri-

Viatico. mùm experiri in tanta dulcedine mortis imminentis, dolorumq; præſentium. Duo illi maximè in optatis erant, & cùm vtrumq; eſſet abundè conſecutus, id ſe Sanctis Coronæ Chriſti Spineæ, Beatiſſimæ Matris, Patriſq; noſtri Ignatij reliquijs referre acceptum teſtatus eſt,quòd nempe, ſtupente id medico,in

15. Sèpt. perpetuo, & implacabili illo æſtu febrium (quo demum extinctus eſt) mentis tamen ac memoriæ compos plenè ſibi conſtaret. Inde eſt quòd votorum formulam ad Sanctiſſimum Viaticum ſemel, iterùm deinde ſub extremæ

vnctio-

Digitized by Google



S·MARIA A CORDE, illi simillima quæ in Cæsaraugusta-
no Soc. IESV Coll· aſseruatur, quā S·P·IGNATIVS eiusd. Soc.
Fund. à primo suæ conuersionis die usq. ad seniū in pectore sem-
per gestabat ad COR: per illā se à Deo ubiq. miris modis adiutū testat.

Digitized by Google

vnctionis Sacramentum è memoriâ repetiuerit, omnia, quæ ſuggerebantur, intellexerit; ad vibrandas pias aſpirationes nullo duce opus habuerit.

4 S.P.Ignatius moriens habuit in cubiculo eam, quæ Romæ in Profeſſorum Domo apud Nouitios etiamnum ſeruatur, *imaginem* vnius ferè palmi, in qua Crucifixus viſitur, adſtantibus Beatiſſima Virgine Matre, & S.Ioanne, vt ſolent: Magdalenâ verò ſub cruce de genibus; nec inde procul S.Franciſco hinc, S. Hieronymo inde, de genu item, in Crucifixum intentis. Sub imagine hæc eſt ſubſcripta epigraphe: *Hæc icuncula erat in cubiculo S.P.N. Ignatij etiam cùm expiraret*. Lubet hic ad ægri ſolatium inſerere ectypum eius (de qua ex M.S.Prou.Aragoniæ hiſtoria aliàs plura) *Marianæ* imaginis, quam S.P.Ignatius familiarem habuit: eamq; P.Araozio Romà in Hiſpaniam abeunti, ille S.P.Ignatij fratris filiæ Eleonoræ, hæc deniq; Collegio Cæſarauguſtano dedit: è quo archetypo hæc imago picta primùm in Hiſpania, tum æri Romæ hoc anno cum ſup.facultate inciſa, *S.Mariæ à Corde* nomen ſortita eſt, quòd Beatiſſimam Virginem referat in corde gladio vulneratam, & à S. P. Ignatio per annos plures ad cor geſtata fuerit, veluti cordis magiſtra, & cuſtos. Aiunt qui prototypon, & hanc vidère, hanc illà nec maiorem, nec minorem eſſe, illiq; omninò

Imagines *Ieſu, Mariæ, Ioſephi.*

Imago B.V. à corde.

ninò in vultu, ac omnibus accuratiſſimè reſpondere. Certè quæ S.P. Noſtrum miris modis vbiq; adiuuit Virgo Mater, non deerit cordi noſtro tunc à vicinę iam æternitatis expectatione ſuſpenſò, ac ſub eius præſidium confugienti. *P. Ioannes Ruitius*, innocentiæ integritate inclytum nomen, moriens, poſt diuina ſuſcepta præſidia, cùm *imaginem* diuinæ Matris Filium ſuſtinentis in manus accepiſſet; nunc Virginem, nunc Infantem amplectens, & oſculatus, rectæ ſcilicet conſcientiæ bono fruens, quaſi ludibundus, ac geſtiens, animam exhalauit. Ruitij virtutes vide in hiſt. Soc. *Ludouicus Seguratus* obitu inſtante petijt, inquit Sachinus, vt lectulus ſibi ſacris Chriſti, ac *Deiparæ* (cui addictiſſimus erat) *imaginibus*, vndiq; circundaretur: eàq; re impetratà, quaſi inter ſanctiſſimas manus Matris ac Filij, die quo prædixerat, leniſſimè expirauit. *P. Ignatius Azebedius* B. V. *Imaginem* oſtentans, & Romanæ Eccleſiæ, in cuius odium cædebatur, veritatem deprędicans, ab irruente Hugonotto in vertice vulnus accepit, retentà imagine, meliùs quàm Spartano clypeo, *in hoc*, & *cum hoc* moriturus, totus ſanguine perpluens, extremis verbis ad perſeuerandum Socios hortatus in amplexu imaginis *S. Mariæ Maioris* animam purpuream egit fortunatus, illiq; ſe in manus commendans, quam tenebat in manu, veluti magnum ſpei

P. 4. l. 4. à n. 146.

Hiſt. Soc. p. 2. l. 5. n. 35.

Anno æt. 18.

1570.

ſuæ

ſuæ ſummarium apud *Ieſum* . P. *Ludouicus* 1635.
Lallement Biturigibus vitâ excedens, illæſam ab omni per omnem vitam peccato mortali innocentiam ad mortem attulit; voto etiam illo ſeruato, quo, anno ſeptimo vel octauo ante mortem promiſerat, ſe in omnibus rebus noctu diuq; , in ſingulis quæ ageret facturum id quod, *Deo* monſtrante, perfectius eſſe cognoſceret. Quotidiana illi, neq; frigido tantùm vſu, ſed quà poterat accuratione vſurpata de peccatis confeſſio, quotidiana ſui erga benedictam *Dei* Matrem amoris Roſario recitato ſignificatio; & tenera erga S. Ioſephum propenſio: quem ſe Patri Ludouico in templo Domus Probationis Rothomagi ſpectandum obtuliſſe firma opinio eſt; cuius *imago* ſuum illum ſibi viſum in templo Ioſephum oculis ac menti referens tanto illi in morte fuit ſolatio, vt illam ſecum ſepulchro inferri enixè petierit.

Imago S. Ioſephi.

6 P. *Alphonſus Paciecus* in Salſettis mortem cruentam obijt à Barbaris fidei odio internectus. Hic vltimo agoni, præter cætera præſidia, quomodo ſe parârit, etiam Barbari prodidère, qui in ore mortui Alphonſi ſe *cereum agnum* Dei, *Ieſu* nomine impreſſo inſignem reperiſſe teſtati ſunt.

Cereus agnus *Dei* pro agone. 1583. 15. Iul. In ore cera benedicta.

7 P. *Recupitus* anno 1647. ſcripſit, paucos ante annos in Collegio Neapolitano, moribundo cuidam viſum dæmonem ſpecie canis.

Lib. induſtriarum pag. 462.

Oſten-

Digitized by Google

Oſtendebat magno cum terrore infirmus locum, in quo erat dæmon ille moloſſus: & loco *aquà benedictà* luſtrato, ex illo ad alium angulum abijt dæmon. Inde rurſum pulſus eadem aquà, aliò & aliò ibat, donec tandem illius aquæ virtute expulſus eſt. *Aquam benedicimus, vt eà cuncti aſperſi ſanctificentur*, inquit Alexand. VI. ep. 1.

Aqua benedicta ſæpè aſpergendum cubic. & æger.

8 *Libellus* Regularum, rituale Romanum, libellus aliquis ſpiritualis, quem legi audiat æger, & Officium B. Virginis, aut alius è quo coram illo aſpirationes aliquæ recitentur, multùm conferent. Suadent alij & palmam benedictam, ſeu ramum oliuę, in manu, vel penes lectum, habendum; vt occurramus Chriſto, & dicamus: *Oſanna in excelſis*.

CAPVT XIII.

Familiaris erga Angelos pietas pulchra ſanctè morientium occupatio.

Bib. PP. t. 2. col. 103.

1 *IN hora exitus noſtri adſunt boni Angeli*, inquit Simeon ille admirandus, *& copiæ cæleſtis exercitus, atq; omnes contrariæ poteſtates, Principes tenebrarum: vtriq; ad ſuas ſibi ſedes animam conantes aſſumere, &c. Stipant boni Angeli, nec ab aduerſario eam ſinunt contingi.* *P. Nicolaus Becanus* obedientiæ ac integritatis laude præclarus, poſt longam quartanæ vexa-

Hiſt. p. 4. l. 4. n. 88.

vexationem inter eas voces, quibus ſe *Angelos*, pulchrorum paruulorum inſtar, prẹſentes videre dicebat, animam, quam in patientiâ ſuâ benè poſſidebat, *Deo* dedit Olomucij. 1576.

2 De *P. Ioannis Harlemÿ* morte loquens Sachinus; Certum eſt, inquit, moribundo viſos *Angelos*, inter recitandas Litanias: aiebatq; P 4. l. 6. n. ab ſuo ſe *Cuſtode Angelo* euocari. Fuit qui di- 257. ceret, dum animam P. Ioannes efflaret, inſoli- 1578. 1. tum lumen circa eum ab ſeſe conſpectum. Oct.

3 *P. Theodoricus Gerardi* Viennæ Auſtriæ felici morte exceſſit, Angelico virtutis omnigenæ ſplendore illuſtris, adeò, vt Romæ à Re- 1558. 1. Oct. ctore ſuo & Profeſſore hoc teſtimonium habuerit: Multas in multis alijs eminere virtutes; in Theodorico nullam deſiderari. Hic moriens *Angelicum concentum* pro felici æternitatis proluſione habuit.

4 *P. Emmanuelis de Lis* mortem fuiſſe mortem hominis virtutis planè admirandæ, aiunt Goanæ annuæ. Hic in ipſo mortis ago- 1594. ne ea ſigna dedit, quæ & acre cum inferno hoſte certamen, & ingentem animi fiduciam indicarent. Nam & *S. Michaelem ſibi contentâ voce aduocauit*; &, quod de S. Martino legitur, S. Michaelis præſidium. intrepido animo, & conſtanti voce, humani generis hoſtem increpitum ab ſe abegit. Quid, inquit, quæris, phantaſma infernale? Non habes poteſtatem in me: mediante ſanguine *Ieſu* Chriſti. Ad memoriam verò B. P. Ignatij, inter-

Digitized by Google

mortuis vocibus ſignificauit, ſe mirificè recreari aſpectu, quo mox fruiturus erat, beatiſſimæ illius animæ. Quærunt nos, & operam tunc intendunt quàm maximè rebelles Angeli: his fidelem fidelium Angelorum manum opponat animus. Poſſunt illi, & volunt nos iuuare. *Deum* vident; & nos in *Deo*, ac propter *Deum* amant. nec minùs periti, & accurati ſunt in nobis quærendis quàm dæmones in perdendis. Imò plus poſſunt, voluntq; pro nobis Angeli, quàm dæmones contra nos.

Cap 1. n. 1. 5 *Ioannem Lauretanum* ab Angelo Cuſtode ad confeſſionem generalem monitum dixi.

6 *Dominicus Faber* murarius egregij exempli Coadiutor, Florentiæ decedens è vità eleganti ſpecie Iuuenem à ſe viſum aiebat, qui dicebat, ſe vt illi ſupremo tempore adeſſet, aduenisse; vt refert Hiſt. Soc. 1581. mihi pag. 34.

7 De *Elphinſtonio* inter agmina Angelorum expirante, ac recreato voce *Angeli* promittentis fore, vt ab ipſo illius anima deferretur ad gloriam beatorum, narro aliàs. Cap. 15. 10.

1647. 26. Aug. 8 P. *Rodolpho Houſsin* paucis ante obitum horis *Mater pulchræ dilectionis*, & poſtea *Angelus Tutelaris* pulcherrimi adoleſcentis ſpecie ſe in conſpectum dederunt. Quis eſt iſte iuuenculus, aiebat, quem video pulcherrimum? O quàm eſt elegans! Et paulò poſt expirauit, charitatis religioſiſſimæ, atq; laborioſiſſimę admirabilitate verè illud elogium, commeri-

meritus, quòd *Deum*, ac *Dei* Matrem ex totò corde ſuo, proximum verò ex totis viribus ſuis dilexerit, vſq; ad mortem obitam in obſequio peſte contactorum.

9 *P. Recupitus* refert ſe cum alijs multis Religioſis adfuiſſe morti cuiuſdam, vt ille loquitur, boni ſerui *Dei* (an de Societate ille fuerit, non explicat) qui porrectum ſibi ad oſculum Crucifixum oſculari noluit; & alijs *Ieſu*, ac *Mariæ* ſacra nomina ſuggerentibus, turbato vultu *diabolum* nominauit. Quæ res merito terrore concuſſit omnes, donec manifeſtè è ſignis certis collegère, illum dæmone nominato indicare voluiſſe, quòd à dæmone prohiberetur, ne poſſet Crucifixum oſculari, & *Ieſum* ac *Mariam* pronunciare. Quocirca omnis illa religioſa corona in genua procumbens bis repetijt: *S. Michaël, ora pro eo! S. Michaël, ora pro eo!* Ad quæ dæmon cõfeſtim euanuit: & æger facie ſerenà Crucifixum ſæpiùs oſculatus, ſancta *Ieſu* & *Mariæ* nomina in ore habens, felicem ſpiritum dedit. Ferè ſimile huic eſt id quod ij retulère qui adfuère cuidam ægro noſtro, Crucifixum vt ſibi admoueretur annuenti, ſed eundem ori admotũ poſtea non ſemel conſpuenti. Hic noſtris, ob rem inexpectatam, admiratione, terroreq; ſuſpenſis, ac ex ægro petentibus, ecquid hoc eſſet; reſpondit voce quà potuit: Cupere ſe Crucifixum oſculo venerari; ſed, ait, quoties mihi il-

Tract. 3. Induſtr. pag. 434.

S. Michaelis praeſidium.

Doli dæmonis.

lum ori admouetis, toties dæmon manum ſuam Crucifixum inter ac os meum interijcit, vt imprimendum Crucifixo à me oſculum ipſe accipiat. Atq; illam ego manum conſpuo quam ille mihi præbet, inuitatq; ad oſculum; non verò Crucifixum meum *Ieſum*, quem vos mihi optatò porrigitis. Quocirca noſtris flagranter omnibus pro ægro in preces effuſis, diſceſſit ille animarum hoſtis: & æger Crucifixi ſacram imaginem, citra impedimentum eſt oſculatus. En quàm inſidioſus tunc adeſt Angelus tenebrarũ. Contra hũc ergò Angeli lucis ab ęgro, atq; à ſanis pro ęgro, aduocandi.

Orandum pro ęgro impensè.

In gaudio, inquit laudatus initio Simeon, *& exultatione cum Sanctis proficiſcitur anima* (quando cedit à corpore) *& Angelis victoriæ hymnos concinentibus* Deo, *nec non eam ſeruatori Chriſto, & gloriæ Regi offerentibus, ipſumq; cum ea ſimul adorantibus; cum vniuerſo cæleſti exercitu in quietis locum perducitur in gaudium ineffabile, in lumen perpetuum; vbi non eſt mæror, nec gemitus, neq; fletus, neq; anxietas; ſed vita immortalis, & perennis lætitia cum omnibus Sanctis acceptiſsimis* Deo *in regno cælorum.*

Ibid.

CAP.

Digitized by Google

CAPVT XIV.

Omnes Sancti pretioſa occupatio morientis.

1 SVnt qui Sanctos diei natiuitatis, initæ Societatis, ac mortis ſuæ quotidie venerentur, & dicant: *Omnes Sancti, quibus ſacra eſt illa quæ mihi naſcenti, vel Societatem ingredienti prima fuit, vel quæ mihi morienti vltima erit dies, impetrate mihi à Crucifixo* Ieſu *felicem mortem, beatam æternitatem*. Sunt qui Sanctos ſuos menſtruos omnes, & Sanctos quorum feſtum agitur, deniq; Sanctos quotidianos eam in rem inuocent quotidie ex Martyrologio, vel ex Anno cęleſti: ſunt qui SS. omnium Litanias offerant quotidiè pro defunctis; vt illos in morte habeant adiutores. Sunt etiam qui quotidie ad ſuæ mortis horam inuitent omnes illos *Dei* electos quos in hora mortis Beatiſſima *Dei* Mater ſingulari auxilio adiuuit. Adeò ſuppetiæ nobis pro re tanti momenti vndequaq; ſemper, piè, ac perſeueranter petendæ ſunt.

2 *Michaël Victor* Coadiutor Foroliuij exceſſit. Hic cùm ijs, qui pretioſiſſimo agonis tempore fieri ſolent virtutum ſelectarum actibus occuparetur, præeunte eo, qui ſpiritualibus rebus præerat Patre, repentè explicatà totius oris hilaritate effloruit, & Patri dixit: Video ecce aduĕtantes ad me *Mariam* Domi- 1524. 19. Martij. B.V.S.Ioachim.

Dominam meam, S.Ioachimum (erat is huic Sancto ſacer dies) & Angelos.

1604. ann. Mexic. 3. *P. Alphonſus de Santiago* mortem ſuam prouidiſſe viſus, aiebat, ſibi morienti præſtò fore Patrem Chriſtophorum Cabrerium, veterem iam inde à tyrocinio, ſtudijſq; amicum, & iam ante annos plures humanis exemptum. In morte, præmiſſis ijs, quæ migranti animę ſubſidio ſunt, exultabundus geſtu, voce geſtiebat in amplexus mortis: *Plaudite*, inquiebat, *en video cæleſtis curiæ agmen: plaudite, Dei quoq; Genitricem video*. Hæc dicebat; & fixo in cælum obtutu inter dicendum vixit.

B. V. & omnes ſancti.

4. *Alphonſus* ille *Rodriquez* notum & ſacrum è Coadiutorum Chriſto militantium legione exemplum, *Deiparæ*, ac Sanctorum omnium cultor fuit quàm maximus. In 24. horas Sanctos diſtributè collocàrat, certoſq; ex omnibus ſelegerat, in quorum cuſtodiam, diei totius omnes & ſingulas 24. horas daret: atq; ad impetrandam in ſingulas horas illorum opem, certis precibus vtebatur. In beatum cælitum coetum aliquando inter orandum auocatus, ibiq; cum illis adeò familiariter verſatus eſt, vt illos noſſet, quaſi eà in Vrbe Sanctorum natus, aut à primis annis fuiſſet educatus. Sub mortem, peractis omnibus, quæ itineri illi ſacratiſſimè adornando ritè vſurpantur, poſt acerrimos corporis cruciatus, & animi turbamenta, triduo vltimo ſuauiſſima

Sancti in 24. horas tuendas diſtributi.

Cum cælitibus familiaritas hic inchoãda.

in ma-

in malacia quietæ pacis iacuit animo iam in cęlum abſconditus, qui animę migraturę quaſi locum parabat. Totus in amabili ſilentio, & vultu venerationis pleno, in pace in idipſum quieſcebat. Vltimo Octobris, & vitæ, die, cruciatibus iterùm reducibus ſolo *Ieſu* nomine obuiam ibat, ſolatijs plenus. Ita dolorum, ac vitæ finem inuenit, quaſi in cæli limine conſtitutus, in vigilia diem Sanctorum omnium Alphonſum ſibi iam olim deuotum, ac notum excipientium præcedente; feſtum ipſum cùm ipſa ciuium Beatorum Societate triumphante celebraturus. 1617.

5 P. *Coſmus Alamannus*, vt apud vniuerſam Cæli Rempublicam ſe redderet gratioſum, ac ſuaui precum impendio, ſibi opem illorum pro morte quaſi emeret, collecto ex omni vetuſtatis, Bibliothecarumq; memorià Sanctorum omnium, quot eſſent catalogo, innumerabilem illum numerum, quò potuit numerò ſecutus certè, non aſſecutus; effecit, vt neminem quoad ſciret, ex vniuerſa Cęlitum panegyri præterierit, cuius honori non vnam vt minimùm Dominicam & Angelicam orationem dixiſſet; vt ſupremæ neceſſitati ſuæ fidam auxiliarem manum à S. P. Q. Cæleſti contra inferos pararet. Morbus illi omni virtute variè cumulatus, vtpote, quem ille à *Deo* multis precibus popoſcerit. Ad eminentiſſimos virtutum actus animum ſurrigens, conti-

Nullum Sanctum ſine aliquo obſequio praeterire.

continenter illud veluti dolorum laxamentum ore hilari verſabat: *Benedictus* Deus! *Laudetur* Deus! idq; vſq; ad mortem, quam oppetijt Mediolani.

1634. 24. Maii.

6 Amabilis pluribus ex capitibus P. *Siluij Brunorij* exitus fuit Ferrariæ æt. anno 80. Hic erga tenerum Infantis *Ieſu* myſterium, tenerrimà ſemper religione ferebatur. De ſuo autem è vita diſceſſu ſollicitus, *Ieſum*, *Mariam*, *Sanctos omnes* in diuerſa per annum feſta diſtributos, ac totius anni, imò cæli, compendium in 24. horas collegit. Ex his *Spirituale*, vt ipſe vocabat, *horologium* concinnauit, in quo in 24. horarum ſpatia diſtributa, ſeu claſſes, ita omnia totius anni feſta partitus eſt, vt horis ſingulis ſuum quodpiam anni feſtum aſſignatum reſponderet. Aiebat enim hac arte fieri, vt quacunq; diei, vel noctis horà moreretur, non ſinè clypeo, non ſinè feſti alicuius, ſeu Sancti protectione moreretur, agonis mortualis agonotheta & præſide aliquo aſſignatam ſibi horam è cælo defenſuro. Morienti ergò obtigit octaua poſt ſolis occaſum hora, quam ille Infanti *Ieſu*, quaſi pro ſtationis, ac ſuæ mortis tuendæ præſidio, aſſignàrat. Et verò tuitus & horam, & clientem ſuum eſt *Ieſus*. nam ipsà naſcentis Chriſti nocte cùm pulcherrimam reſolueretur in mortem P. Siluius, tranquilla illi vultus, & cordis hilaritas in dulciſſimas quaſdam æternæ

1620. 25. Dec.

Ieſus paruulus, *Maria*, omnes Sancti.

24. horæ omnem cæleſtem Remp. cōplexae.

Prouidentia pro hora mortis.

Singuli Caelites ſingularum horarum protectores.

vitæ

vitæ delicias animum effundebat, cùm ſe conſtanter ad cælum ire, ad cælum diceret; atq; vſq; ad mortem ſacris hymnis migrantem animam ad cælum identidem inuitaret, his cæli lætitijs immortuus, & felicem ſupremæ horę apparatum nobis in Horologio ſuo Sancto legans. Similis *Horologij* conficiendi praxis hæc eſſe poteſt; vt ex quouis menſe duo feſta ſeligas, quę 24. horas implebunt, eo modo qui c. 41. explicabitur. Horologium ſpirituale.

7 P. *Nicolaus Gaudanus*, magnà & ſpectabili virtute vir, ad conſideratam tremendi Iudicis iuſtitiam, ſub mortem tremens, P. Confeſtero, & alijs, qui aderant, ſolatia ſuggerentibus in hæc verba erupit: *Traiectus quidem nobis reſtat terribilis: ſed vos, ò Apoſtoli Domini, vos, ò Martyrum agmina, vos Confeſſorum, ac Virginum candidatarum turmæ, poteritis veſtris precibus imbecillam animam ex mari tam turbulento in cæleſtem portum tranſuehere: poteritis ſanè* Dei *clementià*. Mox myſteriorum munimentis exhilaratus, blandà morte, ac veluti ſubridens, in vitam immortalem ſolutus eſt Louanij. Vid. in Orland. & Sacchino plura. Omnes ſancti. 1565. 10. Nou.

8 P. *Ioannes Belmeſius* medià ante ſupremum diem nocte, Eamus, aiebat, eamus. Interrogatus; Ecquò, Pater? Sanctum, inquit, Ioannem Baptiſtam, & Virginem Beatiſſimam video. idq; interrogante altero, iterùm repetiuit. Inde ſe diabolum videre dixit, quem antè Annuae Billomenſes 1583. B V. & S. Io. Bapt.

O indi-

indignante ſiniſtrà manu repulerat. Sed nihil hic contra duos illos, *Mariam*, & Ioannem Baptiſtam potuit. Abijt cum ijs, à quibus inuitabatur P. Ioannes. Eamus & nos. Non pœnituit illum obſequiorum diuinæ *Deiparæ* ac Præcurſori impenſorum, quorum adeò pretioſum in morte pretium accepit; nec nos pœnitebit vitæ in illorum cultu religiosè impenſæ.

9 *P. Ioannem Ludouicum Meſsinam* plurimà variæ ac ſolidæ virtutis famà, & nonnullis quæ admirationem merentur, inclytum, Coſentiæ in Calabria morbo vltimo tentatum, à *Deipara*, pulcherrimę ſpei plenà allocutione ad æterna erectum, & à S. Thoma Apoſtolo, qui Clienti ſuo, ipſo feſto die Natali ſe ſpectabilem præbuit, Sanctiſſimo Eucharistiæ myſterio in viam æternitatis refectum lego; & monitum, vt ſe morti die Sanctorum Innocentium obeundæ totus accingeret. Dixit Ioannes id ei, cuius rem illam ſcire intererat; & ipſo beatiſſimorum paruulorum die, eo ipſo quem ab Apoſtolo didicerat & dixerat tempore, quaſi comitem haberet pretioſam innocentium Martyrum coronam, plenus inexplicabilium gaudiorum, ad immortales conceſſit.

B. V. & S. Thomas Apoſtolus.

1607.

S. Eliſabeth Reg. Hugariae. Sanctus menſis.

10 *Mauritius Balſer* Coadiutor excelluit ſemper ſtudio ſe ad abiectos quoſuis labores & officia impigrè accingendi. Huic, pro more

Socie-

Societatis, in ſchedâ pro menſe *S. Eliſabetha* 19. Nouemb. obtigerat, cum hac ſententia: *Noſtrum eſt hic flagella percipere, quorum eſt de æternitate gaudere.* Schedam exoſculatus: Perlubens, inquit, notabo hanc Patronæ meæ doctrinam, & diem, quam ſpero in viuis vltimam mihi fore. Pio voto, ſeu prædictioni, optatus 1635. 19. Nou. reſpondit euentus. Nam dies S. Eliſabethæ Reginæ Hung. ſacer, Mauritio ſupremus fuit Neſuiſij.

11 Menſtruum ſuum Sanctum Odonem Abbatem, Romæ morienti *Eduardo Trogmortono* coràm adfuiſſe, ac multa dixiſſe, teſtis eſt 1582. eius vita. Hoc exploratum eſt, Sanctos menſtruæ ſortitionis ab illo eximiè quotidianis cultos obſequijs. Vltimus in vita illi Patronus obtigit S. Odo Abbas (cuius die 18. Nou. obijt) & illa S. Auguſtini ſententia: *Non poteſt malè mori, qui benè vixit. Vitus Moſer* Clagenfurti mortem obijt, ad quam ſe frequenti ac ſeuero in *Deip.* honorem ieiunio, & quoti- 1655. 21. Oct. dianà Litaniarum è Sanctorum menſtruorum catalogo confectarum recitatione præparàrat.

12 *Ioannes* etiam *Berchmans* Romæ moriens, menſis currentis, id eſt Auguſti, Sanctos 1621. 13. Aug. omnes recitari ſibi curauit: & ſingulorum pro agone opem implorauit. Sancti mẽſis quo morimur.

13 *P. Adamus Ciecierski* Polociæ in Lithuania è viuis abijt. Hic triennio antequam 1650. 30. Nou. vità cederet, increſcente paralyſi iam opperie- Sancti tuę patriae.

batur horam ſupremam ; cùm ecce Polocenſium olim Archiepiſcopus B.Martyr Ioſaphat Clienti ſuo adeſt, confirmat: &, non nunc migraturum, verùm triennio poſt, affirmat. Pater ſenſibus reſtitutus, ita triennium illud vitæ vltimùm impendit, vt illud verè vltimum ſibi eſſe oſtenderit. Exeunte anno tertio, morbus illum lecto affixit ; & ante agonem vltimò Adamus ſæpiùs ad eum locum in quo charum ſuum Ioſaphatum Martyrem & Protectorem olim viderat, reſpectans, pièq; illacrymans, optatà, & prædictà à ſe morte abſum-
Anno æt. 65. Soc. 42. ptus eſt, pro reddendis in valle Ioſaphat rationibus cùm toto vitæ tùm vltimi maximè triennij decurſu, Pręſide ſuo Sancto Polocenſi, egregiè comparatus.

14 Dicam hìc ego quiddam, in quo pios interpretes, quàm deriſores, vel Catones malim.
1620. 23. Sept. *P. Chriſtophorus Clezlinus* Monachij obijt, vir in captiuitate Suecicà ęrumnas plures perpeſſus.
Sancti alii tutelares. Hic vt morti ſuæ impenſiùs prouideret, in chartula eorum potiſſimùm cælitum nomina adnotàrat in quos maiore fiducià ſe rapi ſentiebat. Hos ille pro illo agone ſollicitè ac ſæpè vocabat ad certam & neceſſariam opem. Et illam ſuam ſchedam Sanctorum ſuorum nominibus inſignem, ſibi poſt mortem in os inſeri volebat: vt vel hoc ſigno teſtaretur, ſe tum quoq;, cùm loqui non poſſet, illorum cælitum nominibus velle vti propitijs apud

Deum,

Digitized by Google

Deum, idq; ſuo chirographo in ore linguæ mutæ officia obeunte teſtari.

15 Dolæ *Ioannes Rubæus* Scotus de vita deceſſurus, pauculis ante ſupremam horis è lipſanotheca, quæ à collo pendebat, ſchedam deprompſit, è qua Sanctorum tutelarium nomina & opem ardenter implorauit, & luctæ vltimæ vnctus vixit. 1601. 7. Febr.

16 Amabat S. Annam, & B. Aloyſium cultu religioſiſſimo *Bartholomæus Puzzolus* Coadiutor Panormi defunctus. Religioſæ illius propenſionis illud præmium tulit, quòd eàdem quam ſupremam in vità habuit nocte, ſit à S. Anna Mariæ *Deiparæ* ac ſuorum clientum Matre, amantiſſimè ſalutatus. Alphonſum verò Rodriquez, & Simonem Bucerum, veluti ſibi præſentes, hilari voce conſalutauit imminente iam fine. Tum aſſurrexit collectis è laſſo corpore viribus, vt properanti ad ſe dilecto ſibi *B. Aloyſio*, brachia obuia porrigeret in amplexum. & in chari *Aloyſÿ* ſinum, dum hærente inter ſingultus voce, tanto ſe honore indigniſſimum ſuauiſſimè diceret, ſeu potiùs ſingultiret, tranquillam animam in illis deuotiſſimæ modeſtiæ officijs occupatam exhalauit. 1632. 27. Ian. S. Anna, B. Aloyſius. Recupitus induſtriar. tract. 3. pag. 429.

17 *B. Aloyſius* cuidam ſpectabilis hortator adfuit, vt orare porrò pergeret. Preces illæ erant ad ipſum B. Aloyſium pro ægro quopiam inſtitutæ. Adiecit Aloyſius: gratum B. Aloyſius è cælo ad quid hortetur infirmum.

eſſe

eſſe Sanctis, ſi ab ijs aliquid petatur. Cùm enim in Cælo nec patiendi, nec ſe affligendi, aut ſubmittendi habeant occaſionem, nihil iam illis eſt ſuper, niſi amor erga *Deum*, & proximum exercendus. Hinc nonnulli amicos ad Sanctorum ſepulchra, vel reliquias, aut altaria tunc deſtinant ſui loco: vt illos ad felicem amici migraturi mortem ſuo fauore procurandam inuitent.

Orandum pro morientibus.

18 *P. Carolus Rolandus* obijt Bellioli multà ſignificatione flagrantiſſimæ in *Deum* charitatis, ipſo die *SSS. Trinitatis*. Magnà ſemper accuratione ſe parabat ad mortem. vna è reliquis induſtria erat ad illam conſequendam hæc: *Singulariter S. Mariæ Magdalenæ addictus ero. Pridiè feſti eius ieiunabo; vt eius interceſſione in actu amoris* Dei *moriar, idq; ex voto cum veniâ Superiorum emiſſo*. Planè videtur voto abundè potitus. Nam Crucifixo monſtrato ad mentem redijt, à quâ vi morbi abierat: & vſitatis aliàs S. Bonauenturæ verbis ſic ſuſpirabat vſq; ad mortem: *Hæc mihi ſit conſolatio, tecum, mi Domine, crucifigi: & mihi ſit intima afflictio aliquid præter te meditari! O Domine* Ieſu *Chriſte! qui propter me Tibi non pepercisti! cor meum tuis vulneribus ita ſaucia, & mentem meam tuo ſanguine ita inebria: vt quocunq; me vertam, ſemper te videam Crucifixum: & quidquid inſpexero, mihi appareat tuo ſanguine rubricatum; vt ſic totus in te tendens,*

1623. S. Maria Magdalena.

Petendum vt in actu amoris *Dei* moriamur.

Digitized by Google

dens, nil valeam præter te inuenire, &c. Eadem ſæpè ingeminans, eadem ſibi inter ſuprema momenta dici petiuit. Et impetrato, vt valdè ſpero, per Crucifixi amantiſſimam, & feliciſſimè Chriſto immortuam Sanctam ſuam Magdalenam, in actu amoris *Dei* moriendi beneficio, eò abijt, quò adeò amanter anhelauit. & ibi nos expectat. Vtinam quemadmodum quoſdam in ipſo ſcelere rapit diuina iuſtitia; ita nos diuina miſericordia in ipſo ſui amore occupatos ex hac ad beatam vitam eripiat!

19 *P. Didacus Martinez* S. Vrſulam (glorioſæ apud eos qui ſupremo in agone militant æternitati à felici eorum protectione memorię Virginem) conſtanter propenſò animo colebat; colendamq; alijs vnà cum triumphali Sociarum choro ſuadebat. Ab illo manauit latè porrecta illa plurium pietas, vt in eius & ſociarum honorem pro felici morte ter quotidie oratio Dominica diceretur, aut decies & ter. Ita fore aiebat, vt illarum ſingulis intra tres, aut vndecim annos ſua obtingeret oratio. Operæ prēmium fore, prēſens earum in morte auxilium. Ipſe, ſi quo die pij huius exercitij fortè obliuiſceretur, pulſari fores veſperi audiebat; intelligebatq; ſe illo ſigno moneri. Moriturus, portam, & feneſtras pandi, quaſi hoſpites aduentarent, iuſſit; & num SS. Virgines aduenirent rogatus, tacuit, ac breuì expirauit. S. Vrſula, & ſociæ.

S. Bar-

20 S. Barbara Virgo M. & B. Stanislao olim, & Societati vniuerſę Patrona ſemper fidelis, non vnam quę à noſtris adminiſtratur Sodalitatem habet Viennę, Brunę, alibi. Lincij in templo noſtro ſicut Ara *Deip.* Virgini erecta eſt, cum lemmate; *Vitæ principium*; ita S. Barbarę V. M. altera, cum elogio: *Mortis viaticum*. Nouellarię *Petrus Pozzolius* Coadiutor, cùm, fauces pręcludente anginà, & enato in gutture apoſtemate, ac tuſſi perpetuà à Sanctiſſimo Viatico accipiendo prępediretur; vltimà vitę nocte è duobus, qui lectulo aſſidebant, ſciſcitatus eſt, quęnam eſſet illa Sancta, quę ſuos ſibi deuotos clientes abſq; Sacramentis è vita exire non ſinit. *S. Barbaram* eſſe vbi audijt, enixè rogauit, vt à Sancta illa, & per illam, eam ſibi à *Deo* flexis humi genibus gratiam impetrarent. Illi abiecti in genua fecère quę rogabantur. Increuit Petro deſiderium Sacramentorum, ac tuſſis reſedit, atq; in eo ſtatu eſſe repertus eſt, vt mortis ſeu vitę viatico muniri potuerit. Ita Sacramentis poſtremis perceptis, animam egit: & fortunatum inuocatæ tam vtiliter *S. Barbaræ* exemplum nobis tranſmiſit, reliquis, de *S. Barbara* felicis agonis aduocatà mirabili, exemplis accenſendum.

1655.

1608. S. Barbara V. M.

21 *Petrus Salazarius* cùm priuatim oraret, inquiunt annuę, animoq; cogitaret Beatorum Sedes, Angelos audiuit fidibus canentes:

Limæ 1614. 4. Dec.

tes; quos auguſtà ſpecie ſecutæ Virgines rogabant: Num quid vellet? *Eſtne cordi*, inquit *Barbara*, quam de facie, ac nomine illicò nòuit, *in Cælum proficiſci? vbi placidiſsima quies, & vita viget ſempiterna?* Eſt ſanè cordi, reſpondit Petrus, vt nihil magis: tantis ſcilicet huius ærumnoſæ vitæ defungi periculis. Paulò poſt in morbum incidit. Satis vehementer, & diu ægrotauit. Deinde vrgente malo, die *Barbaræ* Virgini ſacro, vt ipſa promiſerat, feliciter occubuit.

S. Barbara ad cælum inuitat ſuum cliẽtem.

22 *P. Stephanus de Auila* Limæ obijt eò, vt aiebat, lætior, quòd in Societate, quòdq; nullo vnquam in ea Magiſtratu functus, moreretur. Maxima illi ſemper erga S. Thomam Angelicum Doctorem propenſio religioſiſſimæ voluntatis illum inter extrema vitæ admirabiliter recreauit, gaudioq; tanto impleuit, vt ij, qui hominem intimè nouère, quiq; morienti adfuère, dixerint, firma eſſe indicia, è quibus argumentari licet, illum à Sancti ſui Thomæ aſpectu illam adeò amœnam in illo articulo tranquillitatem, & ſimul notitiam mortis adfuturæ hauſiſſe. 1601.

S. Thomas Aquinas.

CAPVT XV.

SS. PP. Ignatius, & Xauerius.

Annuæ Dom. Prob. Rõ. 1593.

1 P. *Antonius Viuiana* Sacerdos grauis annum ferè in Societate tyro, quarto

morbi, vltimo vitæ die, acri cum hoſte duello conflixit; & multà iam nocte repentè ſuc-clamauit: *Fidelis* Deus, *& non mentitur.* Interrogatus à Patre qui aderat, quid illa ſibi vox vellet; adeſſe ſatanam, & ſe in deſperationis abyſſum præcipitem agere velle, dixit, obiectis quæ in ſæculo patràrat delictis. Et ad Patrem; An non veriſſima, inquit, eſt illa Chriſti Domini vox: *Quicunq; fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis eſt, hic meus, frater, & ſoror, & mater eſt?* Annuente Patre: *Vade,* ait, *igitur, retrò, ſatana. Vbi primùm mihi cæleſtis lux oblata eſt, totum me ad* Dei *nutum, voluntatemq; conuerti. Vel hoc, quòd me* Ieſu Dei *Filio in eius Societate deuoui, omnia anteactæ vitæ flagitia compenſat, ac delet.* Sed ad alias conuerſus technas hoſtis, quem deijcere de ſpe non poterat, ſpe ipsà in altum præcipitij efferre voluit. Ergò Antonius Pœnitentiales Pſalmos legi ſibi petit. Ad audita illa Pſal. 1. verba: *Miſerere mei, Domine, quoniam infirmus ſum*; vetera iuuentutis ſuæ delicta palàm ad probrum & erubeſcentiam ciendam voluit recitare. Prohibitus, & cordis dolore vt contentus eſſet, iuſſus; ad illum rurſus verſum: *Delictum meum cognitum tibi feci*; conſcientiam expiauit Sacramento, & abſolutus eſt. Tum in omnem partem ſe verſans deſperabundus dæmon, tetrà deſperationis imagine iterùm terrere victorem voluit; ſed reiectus eſt. Ita

Daemon tentans.

Vocatio.

ſeſ-

feſſum vincendo Antonium horæ vnius ſomnus tenuit: à quo experrectus, admirabundà exclamatione Patri ait: *Qui tandem ſunt Patres iſti, qui aſsiſtunt?* Neganti adeſſe vllos; dixit, alterum exporrectà fronte, naſo aquilino, albicante capillo, caluitioq; venerabilem eſſe; alterum candidum, viuacibus oculis, barbaq; nigrà conſpicuum. Addebat; illorum præſentiam, magno ſibi eſſe ſolatio: ſeq; cum illis in cælum abire omninò velle. Tum qui eſſent, diuinitùs edoctus, Litanias dici deſiderauit, quibus *BB. Ignatij, & Xauerij* nomina inſeri petijt. Præeunte Patre. *B. Pater Ignati, B. P. Franciſce Xaueri,* æger illos intuens reſpondit: *Orate pro me.* Porrò cum Crucifixo ſuo dulciſſimè collocutus, lachrymas adſtanti Patri non ſemel excuſſit. Tum actis *Deo* gratijs, quòd ſe, vndecimà licèt horà vocatum, parem tamen ijs feciſſet, qui portàrant pondus diei & æſtus, æquiſſimo animo, lętiſſimoq; vultu obdormiuit in Domino.

2 In Nouo Granatę Regno in Vrbe Cuenca, fœmina nobilis dum conuerſis in S. P. Ignatij effigiem lachrymantibus oculis morientem ſuum Infantulum illi quà poteſt cordis teneritate commendat, repentè videt radiantem Ignatij vultum in ſua imagine, & extensà ad paruulum manu, paruulo quaſi vocato amplexum offerentem. quo ipſo tempore, infantem viciſſim totum ad illam conuerſum ima- Imago S.P. Ignatii morientem amplectitur.

P 2 ginem

ginem, panſis brachijs in ſinum Ignatij inuolare geſtientem aduertit. Dumq; & Sanctum, & paruulum in mutuis videret amplexibus, in ipſo illo complexu infans teneram animam expirauit. Et ſtatim quæ hactenus materni doloris erant lachrymæ, iam teſtes factæ ſunt, atq; interpretes dulcis gaudij, quo pium matronæ pectus in amabili illà filij ſui morte perfuſum eſt. Paratus nimirùm nobis ad vltimam ſuam operam liberaliter impendendam adeſt in agone Ignatius; vt ſuo quaſi ſinu exceptum Spiritum noſtrum in manus Domini deponat ſecurum.

Laborum pro *Deo* pretium.

3 *P. Andreas Rudomina* per quietem, noſtrorum ſub tribus orbis portionibus ſudantium vultus ab Angelis abſtergi, & ſudaria illo ſudore madentia *Deo* offerri videre ſibi viſus, ſudarijs illis *Deum* delectari, & pro ſingulis coronas dare, ſeq; à ſuo Angelo Tutelari inuitari, Chriſto ſiſti, Chriſtum annuere, mortemq; ſibi in Oriente obeundam promitti vidit, audiuit, Indiam petijt, impetrauit, S. P. Noſtro Ignatio ſemper ſuauiſſimè deuotus. Moriente *P. Andrea* lux in templo quodam illuſtriſſima eadem horâ illuxit. Ipſius verò morientis curam ſuſcepiſſe viſus eſt S. P. Ignatius, qui etiam ſe illi in agone præſentem ſpectandum oſtendit. Id quod vbi Patri ſocio ſuo retulit P. Andreas, nil amplius locutus eſt; verùm in id quod videbat læto

1631. 5. Sept.

vultu

vultu pulcherrimè intentus,cum S.P.Ignatio ad æternum Patrem luminum diſceſſit. Verba Patri ſibi aſſiſtenti loquentis erant: Mi Pater, excipe quæſo honorificè noſtrum Patrem Sanctum Ignatium,qui,me accepturus ſecum, venit.Vide quàm pulchrà eſt facie,quàm pulchrum comitatum ſecum ducit! vide vt me vocat. Iam me vult ſecum ducere. Aiunt cadauere illius in templo expoſito ſuauiſſimum odorem latè omnia complèſſe. Reliqua de illo mira nunc omitto. 7. Sept.

4 *P. Ioannes Magirus* nutabat olim iuuenis in vocationis, ad quam ſe à *Deo* intimè trahi ſentiebat, cōſtantià;ſed ecce nuper vità functum Fratrem ſuum, cauà manu è Chriſti cruento latere ſanguinem haurire,& in faciem ſibi coniectare vidit, ac ſimul illo Sanguine aſperſus dicentem audiuit: *Vide,ne hic ſanguis in caſſum pro te effuſus ſit.* Reliquit enimuerò à Chriſti Sanguine, ac mortuo Fratre ſic perculſus Ioannes lautas opimæ hæreditatis vanitates;& ſe Societati ita dedit, vt vitam virtutum laude cumulatam deſideratà morte coronàrit, quando in ipſo vitæ huius occaſu, cæleſti Chriſti Seruatoris, vnàq; B. P. Noſtri Ignatij oblatà ſpecie ita recreatum aiunt Spirenſes annuæ, vt plùs quàm humano gaudio delibutus,ardentes febriū ęſtus ſanitati longè anteferre ſe dictitaret.Plenus ergò lętitiarum cęli,& ſocios ad ſumma quęq; virtutis nō medio-

Monetur à mortuo.

1609. 8. Sept.

Digitized by Google

diocris decora, vt Ignatij Filios decet, potentiſſimè exhortatus, in *Ieſu*, & Ignatij complexũ die Naſcentis *Dei* Matris commigrauit.

5 *P. Vincentius Regius* Panormi vltimùm æger quicquid medicinæ acciperet, non priùs accipiebat, quàm Virgini Sacratiſſimæ conſecraret. B. P. Ignatium tenerrimis votis implorans, illum ſibi præſentem, pretioſo ac inexplicabili gaudio delibutus, conſpexit. Atq; hoc illi vltimum gaudium inter mortales fuit, priuſquàm intraret in gaudium Domini ſui. Nam vbi fratri, qui ægro aderat, dixit, vt optimum Patrem, qui ad ſe ſolandum aduenisset reuereretur, & ſede ac loco illi dato illum ne ſtare diutiùs pateretur, mox animam egit.

Ante medicinam acceptam, ea B.V. offerenda.

1615. 25. Dec.

6 Non leue ad rem præſentem momentum addet id quod ſequitur. Iacebat vir fortis non vltimę extra ſpem viuendi, atq; etiam extra mentis poteſtatem. Aderat Curio, qui migraturum extremà vnctione delibutum vellet: ſed id æger, importunà totius corporis agitatione, extinctis etiam ſacris cereis, non ſinebat. Dæmonis, id quod erat, operà id fieri ſuſpectans è Societate Pater quidam, poſitis humi genibus hortatur exemplo, ac voce, præſentes omnes, vt vnà ſecũ pro ęgro B.P. Ignatij opem implorent. Inde ſchedam Ignatij manu ſcriptam eiuſdemq; nomen ferentem manu tenens, obiurgatum dæmonem, in nomine *SSS. Trinitatis*, & *B. P. Ignatij* iuſſit hominem

Annuae Nouellar. 1607.

minem illum non impedire, quo minus vltimo illo Sacramento muniri poſſet. Ad hæc mox æger quieti ac ſibi redditus, poſteaquam ritè ac piè vnctus eſt, quietam animam placidus expirauit. *Antonio Fauſtino* morienti *S.P.Ignatius* cum B.V.& Angelo Cuſtode adfuit, vt c. 31.n.7. referemus.

7 *P. Stephano Paez* Limæ extincto cùm parentaretur, fœmina ſanctitatis opinione celebris, ſupra ipſam aram à *B.Ignatio* proceſſum obuiam, & ſummà exceptum gratulatione narrauit: illudq; viſum à ſe præſente, ſpectanteq; liquidò obſeruatum. Hoc amplexu nempe morientes ſuos filios, & mortuos, accipit obuius amantiſſimus ſuorum Pater, notà iam, & compluribus firmatà documentis paternæ benignitatis ſignificatione, Ignatius. *1613.* annuae. S. P. Ign. obuiat ſuis.

8 *P.Claudius Ponceotus* ſummos inter dolores ab Angelis, & poſtea à *S.P.Ignatio*, Beatiſſimæ Virginis comite, itemq; à S. ſuo *Claudio* viſitatus eſt. Neq; incomitatus adhæſit Reginæ ſuæ Ignatius. Adhærebant aliquot è Societate Patres, è Cælo; qui omnes, inquiunt annuæ, lectulo appliciti, ſpoponderunt, futurum breuì, vt ducibus ſe ad æternæ ſalutis portum inueheretur. Sacris ad deceſſionem exultans muniri petit, impetratq;. Deniq; ab illo *Matris Mariæ*, & *P.Ignatij*, *Claudij* ſui nominis, & cæleſtium Sociorum aſpectu animos hilares hauſit, ad mortem ſanctam atq; Annuae Anicien. *1607.* Societas caeleſtis. Sanctus noſtri nominis colendus.

intre-

intrepidam. Triduum illi adhuc in vita ſuperfuit. Rogatus ecquid moleſtè ſentiret in corde? reſpondit: *Hoc vnum, quòd in his, quæ* Dei *fuerunt, totus ego non fuerim*. Vltima precantis, & expirantis fuère: *Venite omnes Sancti! adeſte, omnes Angeli* Dei. *Omnes Sancti, intercedite pro me.* S. Maria, *ora pro me.* De qua, quàm pulchra eſſet, interrogatus, exclamauit: Quàm pulchra es, amica mea; quàm pulchra! Et de *Ieſu*: *Ieſu*, aiebat, O *Ieſu*! Atq; iſta ſummas inter liquidiſſimæ voluptatis delicias. Hoc eſt emori in ſinu Matris cæleſtis, ac Patris Ignatij, cæleſtiumq; fratrum comitatu.

Toti in iis ſimus quæ *Dei* ſunt.

9 De *P. Marco Soldano* illuſtrium palmarum viro ad palmam æternam iter ingreſſo ita loquuntur Pragenſis Collegij literæ: B.B. Patres *Ignatius, Xaueriuſq*; cæterorum cælitum de ſua familia lætiſſimo ſepti choro ei ſe, auguſtà claritate fulgentes, ſpectandos præbuerunt, ipſiq; inſtantem ex hac vita exitum, aditumq; in æternam beatitudinem nunciarunt.

Anr. 1614. 23. Nou.

10 *Guilielmus Elphinſtonius* Nouitius Neapoli cùm extremum decumberet, magnoperè exultans; Non videtis, aiebat, non videtis Angelos? Tum cum Angelo Cuſtode ſubmiſsà voce locutus, illud ita dixit, vt poſſet intelligi: Denunciaſſe ſibi Angelum ſuum Cuſtodem, ipſum per Purgatorij pœnas tranſiturum, ſed ab Angelo ipſo breuì eri-

1584. 16. Apr.

Angelus Cuſtos.

piendum, & ad Paradiſi gloriam perducendum: vbi *P.Ignatius* occurſurus ei eſſet, vt eum coram *SSS.Trinitate* ſiſteret. Miræ fuère internarum animi deliciarum, quibus geſtiebat, ſignificationes; & neſcio quid narraturum, vires & lingua defecit, cùm nihil intelligeretur, niſi *Maria*, & *Angeli*. Crucifixum, B. V. & S. P. *Ignatij* imagines præ manibus, oculiſq; habebat, alloquebatur admirabiliter. Poſt viaticum candelà benedictà accensà petità, rogauit, vt ſuas alij quoq; accenderent: & ad B.V. imaginem conuerſus: *Tu ſcis*, inquit, *Domina mea, quoties tibi cor meum obtulerim.* Quietem ab his ſuadenti, dixit: *Non eſt ampliùs quieſcendi tempus! Eundum eſt in Paradiſum!* Illùd quoque obſeruatu fuit dignum, quòd Patri cuidam quædam ſæpè ſibi ſub extremum articulum ſuggerenda ſuggeſſerit: & P. Salmeroni nunciauerit, vt ſibi in extremis luctanti benè precaretur. Cor ſæpè B. V. offerendum.

CAPVT XVI.

Pro pretioſa ægri occupatione, legatur illi, dum vacat, S. P. Ignatij Loyolæ mors; & diuina etiam circa eos, qui in Societate moriuntur, benignitas.

1 QVi ſanctè viuendi artes omnes exemplo & ſcripto docuit Ignatius, idem

Q ſcri-

ſcripto, ac exemplo docuit artem ſanctè etiam moriendi. Hanc vitæ lineam voluit eſſe normam, ac regulam agendorum. Vnde mortis & horrenda, & amabilia contemplantis, & in Exercitijs, ac aliàs, præſcribētis ille ſcopus fuit: *Vt vitam ac mores in meliùs emendem*, inquit, *eà ratione, quà tunc feciſſe maximè vellem*. Quapropter illius memoriam in deliberationibus, & conſultationibus animi adhibendam cenſebat, dum benè iuxta cæleſtis prudentiæ amuſſim eligendi canones traderet: *Debeo mecum inſuper reputare*, ait, *ſi mors ingrueret, quem me mallem obſeruaſſe modum in præſenti deliberatione. Iuxta hunc igitur eligendum nunc eſſe facilè intelligam*. Ita ille. Quia verò in ipſo mortis, id eſt, animæ à corpore auulſę, puncto ſiſtitur anima Iudici pro particulari cuiuſuis hominis tribunali ſedenti; iubet Ignatius eum qui benè velit eligere, *iudicij* meminiſſe, & ſuo iudicio lumen ab illius iudicij tribunali haurire. Ait enim: *proſpicere non minùs oportebit, quando pro tribunali ſiſtar iudicandus, quo me conſilio hac in re vſum eſſe vellem. Quo agnito nunc vtar, vt eo tempore magis ſim ſecurus.*

Mors noſtra conſultrix.

2 Hìc ego prudentis lectoris animum ad æterna ſua commoda peruigilem conuenio, & ore Ignatij ſuadeo, vt in hac ipſa quam de optimo ſe ad mortem optimam quàm exquiſitiſſimè comparandi modo inſtituit deliberatione ita ſecum decernat, vt eum eligat

mo-

Digitized by Google

modum, & eà ratione, quà tunc feciſſe maximè vellet; ſiue, illum ſeruet, quem ſe mallet obſeruâſſe modum in pręſenti deliberatione, ſi mors ingrueret: quando item pro tribunali ſiſtetur iudicandus, quo ſe conſilio hac in re vſum eſſe vellet, vtatur nunc, dum poteſt. Occurret ſinè dubio; mori te velle illo apparatu, quo iuſti & Sancti pretioſà in conſpectu Domini morte vixère. Primum ergò pronunciatum pro feliciter obeundà morte ex Ignatij morientis exemplo decerptum eſto: *Humilitas*, & *prouidentia*.

3 Quanta fuit illa in fatiſcente Ignatio modeſtia, cùm tandem apparuit palmaris planè in curando error, dum per longum tempus in illo aliud morbi genus pro alio curauit imperitus quiſpiam è iunioribus medicis. Refrigerandum erat iecur; & ille omnem artis induſtriam in fouendum ſtomachum conuertit: qui error ſerò tandem deprehenſus eſt, nihil contra ignorationem, aut in inquirendo oſcitantiam hiſcente Ignatio, neq; parère porrò detrectante, verùm quidquid medicus diceret, modeſtiſſimè annuente. Humilitas, & prouidentia in morte S. P. Ignatii.

4 Sciebat Ignatius, vt patuit varijs argumentis, breuì ſe è vita diſceſſurum. Poterat abſq; vllà gloriolæ colligendæ ſuſpicione dicere ſuis id, quod in charo ſuo Apoſtolo & medico Petro legerat: *Iuſtum autem arbitror quamdiu ſum in hoc tabernaculo, ſuſcitare vos in* 2. Petri c. 1. 13.

commonitione: certus, quòd velox eſt depoſitio tabernaculi mei, ſecundùm quod D.N. Ieſus *Chriſtus ſignificauit mihi. Dabo autem operam, & frequenter habere vos poſt obitum meum; vt horum memoriam faciatis.* Leonoræ Maſcaregnæ ita ſcripſerat: *Hæc eſt poſtrema epiſtola, quam ad te ſcribam. Rogabo Dominum pro te in Cælo breuì (vt ſpero) ardentiùs.* Polancus etiam teſtatur ſe ab Ignatio reliqua omnia moderatè affirmante nihil adeò affirmatè, aſſeueranterq; dictum audiſſe, quàm quæ de futuris Collegij Romani, quos videmus, ſucceſſibus, & de ſua morte, vno ante illam obitam anno dixit. Atq; hàc ille ſcientià non ad aliud, quàm ad felicem obitùs optimi apparatum vti voluit, humilis verè in finem vſq; Ignatius. Poterat aut veterum, aut etiam noui teſtamenti Patriarcharum exemplo, inter conuocatorum, qui ab Vrbe vicini aberant, & eorum, qui Romę aderant filiorum coronà, & complexu emoriens illa docere, quæ nos auidi legiſſemus; poterat ſuo, ſuorumq; ſolatio, *ſalue* illis ac *vale* ſupremum dicere, paternàq; illos benedictione proſequi: ſed, vincente intimum paternę charitatis impulſum ſtudio modeſtiæ ſingularis, maluit quaſi occultè emori potiùs, quàm diu animam agere in ſacra illa pompà eorum, qui circùm adeſſe poterant filiorum, geminæ vno in actu virtutis palmà nobilis, & quòd ſe ſolatio illo fraudaret, & quòd

S.P Ign. mortem ſuam prędixit.

om-

Digitized by Google

omnem à ſe gloriolæ fumum auerteret.

5 Atq; hæc illi virtus iam inde à prima melioris vitæ ætate ad mortem præparatio fuit. Manreſæ enim aliquando ab extremo vitæ periculo reſpirans, eos à quibus officij causâ viſitabatur, ſublato etiam clamore obteſtari non deſijt, vt ſibi, ſi fortè iterùm in extremis laboranti adeſſent, illa identidem in aures valdè ſeriò inculcarent: *O miſer peccator! ò infelix! etiam atq; etiam cogita, quibus te ſceleribus obſtrinxeris; quibus vitijs* Dei *in te iram prouocaueris.* Ribad. lib. 1. c. 9.

6 Neq; tamen eorum, quæ neceſſaria fuère, negligens, aut improuida fuit iſta humilitas. Parebat ille medicorum dicto: migraturum tamen animum ad æternitatis itinera componebat. Anno 1556. 13. Iulij, vt ſe aduentanti iam decretorio ſuo diei pararet, circumſpectare cœpit de ijs, quæ occupationem illam omnium occupationum maximam quoquo modo interpellare poſſent. Primùm ergò ab omnibus mortalis vitæ occupationibus ita ſe abſoluit, vt rerum adminiſtrationem in Polancum, & Madridium inclinaret: ipſe verò vel omninò nihil, aut ſumma tantùm ac breuiter expediret, abſq; iacturâ temporis curis iam cæleſtibus tranſcribendi: *vt quod ſupererat vſuræ lucis mortalis,* Deo, *ſibiq; vacans, in adornando ad lucem immortalē tranſitu collocaret.* Quocirca turbidis eâ tempe- 13. Iulij. Orland. l. 16. n. 94.

ſtate

ſtate inter belli ſtrepitum Romæ rebus, ſancto receptui canere cõſtituit ad S. Balbinam: ita illius valetudini iam ampliùs imminutæ expedire iudicante medico. Illuc ergò ſeceſſit Ignatius; vt quem locum recreandis Collegij Romani Socijs paulò ante conſtruxerat, & in quo ſæpè (id quod me à ſenioribus audiſſe non ſemel commemini) labentibus per genas tranquillis lachrymis cælum aſpiciens identidem exclamauerat: *Heu! quàm ſordet terra dum cælum aſpicio!* ibi ſe ad ſuprema ſolus ſecum, & cum *Deo* componeret. Eo in loco, ſiue ab æſtiui cæli, ſiue ab ædificij inſalubritate, ſiue inclinatà iam & morbis fractà ætate, ſubcreſcente Ignatij morbo domum eſt relatus: Vbi medici ſecuros Ignatij eſſe iuſsère domeſticos: languorem eſſe citra periculum.

Quotidie vel celebrat, vel communicat.

7 Solebat æger Ignatius quoties ipſe pro aris hoſtià cæleſti litare haud poſſet, litationis loco, conſcientiam expiare, atq; Sacrificij loco, Sacramenti illius communione ſeſe reficere. Ita Pane recreatus Angelico, horam ſibi à *Deo* indictam opperiens, in Medicorum ſe poteſtate reliquit, obediens vſq; ad mortem. 30. Iulij die iam propè exeunte, Ioanni Polanco ad ſe accerſito, ſinè arbitris apertè affirmat adeſſe iam ſibi propinquum diem, qui morbis, ac diebus vitæ ſuæ ſupremam imponat manum. Adiret Summum Chriſti

Vica-

Vicarium, peteretq; ſupplex, vt Ignatio, ac alteri cuidam in domo ex hac vitâ iam ad profectionem accinctis benè precatus, è Chriſti ac Eccleſiæ totius theſauro plenam indulgentiam largiatur. Diſtulit in craſtinum, non valdè abnuente, ne importunus eſſet, Ignatio, Polancus inter ſpem à medicis, & metum ex Ignatij verbis conceptum ambiguus. Imò conſultis iterùm, & ſpei quàm timori propiora reſpondentibus medicis, intendente ſe nocte, etiam de Romano Collegio, ſupremam negotiorum lineam, aliquid cum Ignatio peregit. Medicos periculum non videre dicenti: *Ego verò*, aiebat Ignatius, *adeò ad vltima ſum redactus, vt mihi iam nihil ſit ſuper, niſi vt animam exhalem*. Quare faceret ille quidem arbitratu ſuo id quod videretur, ſibi tamen impetratam à ſuâ Sanctitate Benedictionem atq; Indulgentiam quò magis tempeſtiua futura ſit, eò magis opportunam & gratam fore. Qua in re non Polanci tantùm (vt modeſtè dicam) inconſiderantiam, verùm etiam Ignatij patientiam, & hanc præ illâ magis, admiror, quòd non perrexerit vrgere hominem procraſtinatorem iudicio medicorum plus nimio affixum.

8 Interea fluebat Ignatio ſuprema nox, quæ illi ſummo manè in diem æternum diluxit. Tota illi ea nox inter exaggeratos diuini amoris actus per iaculatorias precum ignitarum

Nox vltima inter orat. iaculatorias.

rum

rum faculas, & crebra ſuſpiria explicatos, facta eſt illuminatio in delicijs vicini iam paradiſi. Audiebantur ab ijs, qui in proximo habitabant, inflammatæ ſupra quàm aliàs conſueuerat ſuſpirantis, ſeq; in *Deum* vibrantis voces. At illum non animam agere, verùm diuina pati exiſtimabant: adeòq; ante noctem ferè exeuntem adfuit nemo. Sexta hebdomadæ feria erat, & vltimus Iulij, atq; adeò vitæ
1556.31. Iul. fer. 6. Ignatij, dies, cùm Polancus atque Madridius tempeſtiuè matutini adfuère, vt ægrum inuiſerent ſub ſolis exortum. At iam Ignatius morti propior quaſi in aurora erat illuceſcentis æterni diei. Tum properè quædam reficiendis viribus opportuna illi oblata ſunt. Sed horum tempus iam eſſe negans, interea dum Polancus cum impetratà à Summo Pontifice benedictione atq; Indulgentià reuertitur, poſtulato accenſo emortuali cereo (cuius ceram Bruxellis religiosè poſtea aſſeruatam fama eſt) ſublatis in cælum placidè oculis, manibuſq;, ſupremis ſuſpirijs *Ieſum*, iterùmq; *Ieſum*, & *Ieſum* ingeminans, alterà necdum expletà à ſolis ortu horà, expleuit ſupremum & præuiſum, quem ſemper in oculis ac deſiderio habebat, mortalitatis diem Ignatius, grande vitę ad mortis ſenatuſconſultum comparatæ, pulchrum mortis cum inſigni planè animi demiſſione, prouidentià, & pietatis ardore obitæ documentum.

9. In

Digitized by Google

9 In ipſo migrationis tempore, Bononiæ Margaritæ Liliæ glorioſus apparuit, ac dixit: *Margarita, ego vado: commendo tibi Societatem.* Illa ad Collegium properè aduolauit; & nunquam ſibi aliàs viſum Ignatium Romæ deceſſiſſe dixit: adeòq; ad viuum illum deſcripſit, vt qui illum nouerant, Ignatium eſſe agnoſcerent. & dicti veritatem allatæ poſtea Romà literæ, aliæq; Bononià Romam datæ, collatis temporum interuallis, tam Romæ quàm Bononiæ affirmauère.

S.P. Romæ moriens, apparet Bononiæ.

10 Ea verò quæ poſt Ignatij mortem ſcribuntur miracula, collucentes in eius tumulo ſtellæ, ac cæleſtes concentus auditi, inuitamenta ſunt ad mortem, imitatione Ignatij à *Deo* ſic honorati, cum ſummà, quantà quidem poſſumus, animi demiſſione, rerum tunc neceſſariarum prouidentià tempeſtiuà, ſummà erga Medici, & eorum qui miniſtrant, inconſiderantiam ſeu indiligentiam, tolerantià, & excellentiſſimis intimæ erga *Deum* charitatis actibus per orationes iaculatorias explicatis, ita vt eam obijt tam illuſtris poſt mortem Ignatius, obeundam. Ita poſt humilitatis tenebras vt ſtellæ in firmamento lucebimus; & mœrore mortis abſterſo, æternà *Deo* gratias & laudes canentium cęleſtium Ciuium Ciuitate donabimur, non iam hoſpites & aduenæ, ſed Ciues & domeſtici *Dei*. Dicamus interea cum Ignatio: *Suſcipe, Domine, vniuerſam meam*

Etiam vitam. *libertatem, accipe memoriam, Intellectum, atq; voluntatem omnem. Quicquid habeo vel poſsideo, mihi largitus es. id tibi totum reſtituo, ac tua prorſus voluntati trado gubernandum. Amorem tui ſolùm cum gratia tua mihi dones, & diues ſum ſatis: nec aliud quicquam vltra poſco.* Ita vita, morbus, mors, *Dei* amori, & honori offerenda: vt diligentibus *Deum* omnia (etiam mors) cooperentur in bonum.

11. Quantà verò S. P. Ignatius curà ſit proſecutus morientes & mortuos, & quantà nos cum illis diligentià, peritià, æſtimatione illius puncti, quàq; diuinæ gloriæ intentione verſari voluerit, patebit. atq; ad praxim plurimùm conducet expendere id, quod magno ſanè iudicio ſcriptum, nobiſq; impreſſum probè voluit. *Iudicium Patris audite, filÿ; & ſic facite, vt ſalui ſitis.* Titulus eſt: *De auxilio quod morientibus in Societate præſtatur; & de ſuffragÿs poſt mortem.* Tum ſic monet: *Vt in vita vniuerſa* (verba ſunt cęleſtis huius viri) *ita, & multò magis, in morte vnuſquiſq; de Societate eniti & curare debet, vt in ipſo* Deus *ac Dominus noſter* Ieſus *Chriſtus glorificetur, ipſiuſq; beneplacitũ impleatur; & proximi ædificentur, ſaltem exemplo patientiæ, ac fortitudinis, cum fide viuà, ac ſpe, & amore bonorum illorum æternorum; quæ nobis Chriſtus Dominus noſter tam incomparabilibus vitæ ſuæ temporalis laboribus, & morte promeruit, & acquiſiuit.* Ad eum finem vult ęgro non deeſſe.

Eccli. 3. v. 2.

Conſt. p. 6. c. 4.

deeſſe. 1. Subſidium fraternæ Charitatis.
2. Superiorum ſollicitudinem. 3. Sacramenta Sancta tempeſtiuè procurata.

12 *Cùm tamen*, inquit, *perſæpè huiuſmodi ſit morbi ratio, vt vſum virium animæ magnà ex parte impediat; cùmq; huiuſmodi ſit ille à temporali vità tranſitus, vt propter graues impugnationes dæmonis (à quo ſummoperè refert non ſuperari) requirat ſubſidium fraternæ charitatis, ſolicitè aduertat Superior, vt qui iuxta medici ſententiam de vità periclitatur, antequam vſu iudicij priuetur, omnibus Sacramentis Sanctis acceptis, tanquam armis à diuina liberalitate Chriſti Domini Noſtri nobis conceſſis, ad tranſitum à temporali vità ad æternam ſe muniat.*

13 Vult. 4. Preces pro illo fieri peculiariter. 5. Vult illi adeſſe viſitantes, & aſſiſtentes, quorum officium ſit illum animare, ea ſuggerere, quæ tempori erunt. Verba Sancti ſunt hæc: *Iuuari etiam debet* (æger ſcil.) *orationibus omnium domeſticorum valdè peculiaribus, donec animam ſuo Creatori reddat. Et præter alios qui ingredi poſſunt plures aut pauciores pro arbitrio Superioris, aliqui delecti ſint oportet peculiariùs, vt infirmum morti proximum inuiſant, & ei aſſiſtant, & animoſiorem reddant, eaq; ſuggerant, eiſq; auxilijs iuuent, quæ eo tempore conuenient. Et cùm iam alijs rebus iuuari non poterit, eum Domino commendent, donec eius animam à corpore diſcedentem dignetur ad ſe reci-*

Deligendi aliqui ad ægrum iuuandum.

Orandum pro aegro poſito in agone.

Digitized by Google

cipere, qui eam tam caro pretio ſanguinis & vitæ ſuæ redemit.

P. 4. c. 8. §. 7. Sciendum quomodo iuuandi ſint morientes.

14 Et alibi: *Vt proximi ad benè viuendum iuuantur; ita curandum eſt, vt ea, quæ ad benè moriendum illis conferunt, percipiantur; quiq; modus in eo tempore, in quo tantum eſt momenti ad finem vltimum æternæ felicitatis conſequendum, vel ab ea excidendum, teneri debeat, intelligatur.* Vbi benè inſtructos eâ in palæſtrâ nos eſſe vult. id quod vt expeditè & feliciùs abſq; vllo errore fiat (addit declaratio) etiam compendium (ſeu libellus) de modo iuuandi ad benè moriendum vtile erit; vt memoria renouetur, quando ſanctum hoc officium exercendum erit. Vnde ſapienter in 3. prob. anno faciet is qui Patres exercet, ſi hoc etiam de argumento accuratiùs cum ſingulis, & omnibus conferat in arte tam magna.

15 Cauit ergò diligenter, & abundè S. P. Ignatius, ne quid à noſtris circa noſtros, vel alios indiligentià vel ignoratione peccetur.

Pro Quintio.

Magnitudo periculi, inquit M. Tull. ſummò timore hominem afficit, quod vno iudicio de fortunis omnibus decernit. Certè ſi ibi ſummus eſt timor, ſummo quaſi maiorem timorem eſſe procliue eſt in magnitudine periculi mortis, quod vno iudicio de omnibus vitæ huius, ac æternitatis fortunis decernit. Idcircò B. quoq; Borgia Lainij tunc Vicarius Prouinciales inter cætera, & præ cæteris, curare

rare iuſſit; vt prudentes, & periti viri Prouinciatim adnotarent vias, & rationes, atq; induſtrias quas maximè aptas, & efficaces cum diuino lumine monſtraſſet vſus, ad iuuandos alios, potiſſimùm morientes: qui certè peritum habere debent, atq; hac in arte quà legendo, quà cum Patribus alijs conferendo, quà etiam agendo, per aliena, & ſua experimenta verſatum. Hæc ab expertis, præſtantibuſq; viris è cuncta Societate collata in vnum, & redacta in normam præcepta, fore cæteris socijs pro magiſtro, ac duce; vt illud tanti momenti negotium omnes peritè, cum omni quàm exquiſitiſſimà accuratione tractare condiſcant, magno planè ac incomparabili lucro animarum eo in articulo totis viribus enixiùs iuuandarum, & nos olim è cælo adiuturarum.

16 Et verò ſicut ex ijs, qui retrò ſublapſi pedem à Societate in Aegyptum ambulatoriæ nimiùm voluntatis vitio retulère, non paucos vidère anni ſuperiores vitam exitu parùm fauſto clauſiſſe; ita contra ijs, qui ſub *Ieſu* ſignis deuotam illius nomini animam conſtanter deponunt in holocauſtum vitæ æternæ, pretioſam planè mortem obtingere non raro teſtatus eſt *Deus*.

17 Videbat poſt ſumptam Sanctiſſimam Synaxim S. Thereſia, triumphalem, & frequentem animarum è purgatorio ad cælum proce-

procedentium pompam. Ibat prima neſcio quid magis auguſtæ gloriæ atq; maieſtatis præſeferens, & quaſi anteſignana reliquarum. Veniebat, Angelorum coronà comite, illis obuius explicatà ad omnem gratulationem fronte amabili dulcis *Ieſus*; & primæ illi animæ amplexum, & pacis æternę oſculum lætus dedit, pignus amoris, & honoris perennis. Lętæ, ſtupentiq; atq; quid hæc feſti gloria ſibi vellet interroganti Tereſię, vna ex illo contubernio anima de prima illa anima loquens; Dux, aiebat, noſter, eſt è Societate *Ieſu* frater vnus: nos Duci gratulamur, cuius virtuti ac precibus debemus, quòd hodie liberemur. De Omnipotentis aduentu nil mirum, nil nouum. Scilicet hoc eſt hominum Societatis *Ieſu* priuilegium, *vt mortuum* Ieſuitam *obuius* Ieſus *excipiat*. Et de rei huius, ita vt illam retuli, veritate nil dubitat Hiſtoria Prouinciæ Boeticæ: putatq; fratrem illum fuiſſe *Sebaſtianum de Malagon* 15. Iulij anno 1578. defunctum poſt magnos dolores vultu hilari toleratos.

Vid. imag. 1. ſec. Soc. lib. 5. c. 8. pag. 648.

M. S. p. 2. num. 5. 8. 9. fol. 100.

15. Iul.

18 Ille igitur qui priuilegio illo ſuos in Societate ſua morientes beare voluit *Deus*, ille Ignatio ſuggeſſit, vt ſuis non de vitæ tantùm, ſed & de mortis apparatu quàm exaggeratiſſimo prouidè omninò diligenterq; proſpiceret, peculiari de hoc factà in Conſtitutionibus è Cæli Republica deriuatis mentione.

19. At

Digitized by Google

19 At è morientis ore oraculum audiamus. Nam in illa vitæ periodo cauſas mentiendi procul habet qui moritur. E Sacro Capuccinorum Aſceterio decumbebat quidam iã Cælo quàm terris vicinior. Hic euocato ad ſe Patri Vincentio Matrezio Barcinonenſis ProRegis Confeſſario (vt refert etiam P. Beatillus, qui Capuccinum illum nouit,& Laurentium vocat, atq; hæc ex ipſo Patre Matreſio,qui à Capuccino illo ad Collegiũ Barij redibat, habet) cùm ægri cubiculum ingrederetur, acclamauit: Iuſſi te, Pater, hàc horà vocari, vt nunciẽ, quæ per me *Deus* nunciari mandauit: nimirùm omnes, qui in Societate moriuntur, ad cælum eunt. Felicem te, ò Pater, cui contigit ſocium eſſe eius ordinis,in quo,quicunq; decedit, vità fruitur ſempiternà. Hæc mihi iam nunc *Deus* oſtendit: hæc palàm omnibus nunciare mandauit. Eadem de Inſtituto morientis interpretante Matrezio; multos de ſuis ſaluari dixit moriẽs: homines autem Societatis omnes omninò, ſi ad mortem vſq; in ea conſtiterint,eſſe ſaluandos. Addiditq; : Pater,res ſe habet,vt dixi; & *Deus* mihi mandat, vt dicam: & idcircò te vocari curaui. Ita non ſinè ſanctitatis famà exceſſit è vità. Preterea hoc idem Capuccini cum P. Vincentio Matrez colloquium in quadam mentis abſtractione Anno 1631. ſibi repreſentatum,manu ſuà, & ſigillo Societatis teſta-

Imago 1. ſec. pag. 650.

teſtatur P. Antonius Beatillus Anno 1632. 21. Febr. Quę tamē omnia nos religioſè, ac ſobriè vt accipiamus par eſt. His certè ad incitamentum cautæ, magnæq; virtutis vtendum eſt, non ad præſidentem, ſecurumq; languorem. Spem habent iſta: ſed à *Deo*, vt ſic dicam, infallibilitatem non habent: vti & id quod ſequitur.

20 Idem P. Matrez à Marco B. Franciſci Borgiæ Socio Coadiutore, viro cuius religioſi mores fidem nō inuitam merentur, audiuit; & poſtea ſæpiùs narrauit, religioſè conteſtatus, ita ſe ab ipſo rem habere, quam narro. Aiebat Marcus, ſe Romę ad B. Borgię cubiculum, pro more, ingreſſum reperiſſe virum ſanctum amœniſſimà quàdam ſimul hilaritate, ſimulq; lachrymis tenerè perfuſum, & orantem. Auſum confidentià couſuetà quærere ſemel, ac iterùm hilaritatis illius adeò ſanctè lachrymantis cauſam; reſponſum tandem ab illo accepiſſe: Scito, Marce frater, *Deum* impensè amare Societatem; eiq; conceſſiſſe beneficium, quod olim Ordini S. Benedicti, nimirùm vt trecentis primis annis, nemo, qui in ea ad mortem perſeuerauerit, damnetur. Ita ille. Simeon Stylita: *Quando*, inquit, *à corpore cedit anima, ingens timor, grande myſterium peragitur.* Eapropter ſpes timori ſemper, timor ſpei iungendus eſt: aliàs præcipitium terret vtrinq; niſi alterum altero temperetur. Sperandum, timendum, amandum eſt.

Biblioth. PP. t. 2. col. 103. ſerm. de ſemper mente cō-plectendo ſuum cuique diſceſſum.

21. *P. Ga-*

21 *P. Gabriel Aluarez* Maioricenſis Collegij Rector, de Alphonſo Rodriquez illius Collegij alumno veterano, & notæ virtutis viro ita ſcribit: Hic vir, in Refectorio anno 1599. in Octobri poſt cænam inter agendas de more gratias, vidit omnes præſentes fore ſaluos; nec illos duntaxat, ſed omnes pręterea, qui tunc erant in Societate; modò in illa perſeuerarent. Quà notitià vtebatur, quando aliquem de vocatione tentatum confirmare ſtudebat. Hæc omnia habentur ex ipſo fratre Alphonſo, & ad nos vſq; peruenère, quaſi per annorum gradus. Ita Pater Gaſpar Hurtadus ex literis P. Iacobi Granadi: hic ex alio probatæ virtutis, ac fidei viro: is ex lit. P. Sebaſtiani Mendez: qui eadem Romæ à P. Ferdinando Poncio Hiſpano Bœticæ & Aragoniæ Prouinciali accepit. 10. Febr. 1629. datis.

22 Hac Alphonſi Rodriquez reuelatione auditâ de ſaluandis, P. Didacus Monterus Vlyſſiponenſis Domus Profeſſæ Præpoſitus, (idem aiebat P. Balthaſar Aluarez) vir, cui credi ſinè leuitate cordis poſſit, dicere ſolebat, aliam illà recentiorem ſuper ea re habitam reuelationem de ſalute illorum qui in Societate perſeuerant; ſeq; noſſe cui ea facta ſit. Annuæ Aquilanæ memorant *Deiparam* cuidam cum paruulo *Ieſu* viſam, & noſtros beatæ cuidam ſupplicationi permiſtos, agmen velut inſtruentes: noſtro vexillum elegans Pag. 44. 1610.

Digitized by Google

præferente; diceñteq; *Ieſu* eos qui pullâ veſte, ac ſtellis in fronte inſignes eſſent, de Societate eſſe, quorum labore & induſtriâ tot alij ad cęlum deducantur: vt aliàs narro hîc.

23 *P. Ioſephus Ramus* Alphonſi Rodriquez Confeſſarius, ſuperiora confirmat, dum teſtis eſt, Alphonſum Rodriquez anno 1614. in actione gratiarum à cibo ſumpto intuitum eſſe omnes domeſticos tanquam Angelos *Dei*: & exarſiſſe deſiderio eos videndi in cęlo; cùmq; ea de re ageret cum *Deo*, ibidem, inter egrediendum è triclinio, reſponſum accepiſſe, ſe voti compotem fore.

24 *P. Bartholomæo Cocio* Maioricenſis Collegij Rectori morienti adfuit cùm alijs etiam idem Alphonſus Rodriquez Coadiutor: & dum anima migrantis conſuetis Eccleſiæ precibus commendaretur, cælum diduci, eiuſq; gloriam aperiri vidit, magnumq; ibi fieri apparatum, quaſi ad hoſpitem quempiam excipiendum, meditatè & cum mora conſpexit, & didicit feſtum illud venienti è terris in cælum P. Bartholomæo Rectori apparari.

In vita.

25 Romæ moriens fortunatus iuuenis *Leonettus Gagliardus* Patri Achilli Gagliardo, fratri ſuo ſub ipſa extremâ vnctione; Bono, inquit, bono animo eſto, Pater: Chriſtus Dominus valdè me amat: age meo nomine illi grates. Supremâ vitæ nocte quaſi geſtiens, id-

1564. 28. Maii. Hiſt. Soc. p. 2. num. 64.

idipſum ab altero fratre ſuo Ludouico ſæpè poſtulauit, vt ſibi ad agendas pro tanto beneficio gratias adiutor eſſet, quòd tam maturè ſolueretur vinculis corporis, & ſpiritum vltimum in gremio ſanctæ Religionis efflaret. Vocatio.

26 *P. Ludouicus Erhardus* vir erga Societatem lautà hæreditate beneficus, obijt Lucernæ pridie feſti B. V. Præſentatæ, vir humillimus, regularum citra vllam interpretationis patientiam, ad literam, vt vocant, & atomos, obſeruantiſſimus, & SS. Euchariſtiæ ſæpiſſimè inuiſendæ, ac Beatiſſimæ Virgini per Sabbatina Ieiunia, & aliàs, venerandæ deditiſſimus, cùm à magnis miſſionum laboribus feſſus morbo, mortis nuncium acciperet, magnoperè gauiſus, ſublatis in cælum manibus dixit: *Benedictus* Deus! *Hoc eſt tempus propter quod in Societatem veni!* *1630.* Ad quid veniſti?

27 *Ioannes Benoit* Coadiutor in omnibus accuratus, 22. annis in Societate vixit, adeò amans vocationis ſuæ, vt, ne ab illa deficeret aliquando, ieiunàrit ſæpè, certis ad *SSS. Trinitatem*, & ad B. V. precibus eam in rem quotidie deſignatis. Morti Montibus proximus, curauit recitari *Te* Deum *Laudamus*, in gratiarum actionem, quòd in Societate moreretur. Quotidie orandum pro dono perſeuerãtię. *1635. 13.* Martij.

28 *P. Dominicus Raphaellus* magni ardoris Iuuenis, & ſpei excelſæ, innocentià potiſſimùm, & Angeli Cuſtodis cultu inſignis, atq; adeò Angelicæ puritatis, in Collegio Romano *1636. 6.* Octobris.

S 2 diem

diem obijt, collachrymantibus circùm Patribus, ac P. Cornelio à Lapide illum amplexo, & beatum prædicante in hæc verba: Mi Pater, mi Pater, hodie manè feci ſacrum pro te. Sed *Deus* exaudire me noluit, quia placita eſt *Deo* anima tua, quam poſt annum tyrocinij tertium ad cælum rapit. Rapit, inquam, in innocentia, ne intellectum immutet malitia: ne negotijs, & confeſſionibus, & peccatis alienis implicatus, difficillimam reddas animæ tuæ rationem. &c. Sed (quod præſentis capitis eſt) hilaritate tantà perfuſum ſe ſenſit. *P. Dominicus* in morte, ex eo quòd in Societate moreretur, vt latinè hæc ipſa verba diceret inter mira & ardentia reliqua, quæ moriens loquebatur; *Lætus*, aiebat, *& beatus morior in Societate* Ieſu!

Vocatio. *Nihil me in morte conturbat, quoniam princeps huius mundi in me non habet quicquam. nec hæc dico ex animi mei confidentià, ſed ex diuinà miſericordià, & ex ſanguine huius* (& eleuabat Crucifixum manu) *& huius meritis ſaluus era.*

Merita Crucifixi. *Ideò ridens in morte gaudeo ſimul, & morior.*

Obedientia. *Quæcunq; de me Superiores mei decreuerunt, omnia ſemper meliorem in partem ſum interpretatus. Nunquam carni, & ſanguini acquieui.* Paremus nos ad illa gaudia. *In gloria cæleſti*, aiebat anni 1651. die vltimo in Domo Prof. Romana ad generale Societatis comitium dicens Ioannes Card. de Lugo, ex Landulpho, & Hugone Cardinale, *in gloria cæleſti omnes*

Hugo Card. in Apocalypſim.

ab ipſo

Digitized by Google

ab ipſo Ieſu *dicemur* Ieſuitæ. Et verè: *Fidelis Deus per quem vocati eſtis in Societatem Filij eius* Ieſu. 1.Cor.1 9.

29 Credo iurato P. Vincentio Ficherello, Piſtorienſis Collegij nuper Rectori, cui crederem etiam iniurato. Is in literis ad me anno 1657. 27. Aprilis datis enucleatè narrat, quomodo antequam Romæ anno 1620. 17. Nou. 17. Nou. Societatem ingrederetur, ad Iulium Sanſedonium Groſſeti Epiſcopum, virum ſapientià, ſcriptis, ætate, virtute, abdicatoq; , vt æternitati quietus vacaret, Epiſcopatu dignum S. Philippo Nerio Magiſtro diſcipulum ductus, ab eo præclara de Societate audierit, impensè hortante vt perpetuas *Deo* gratias ageret quòd ab illo ad eam Societatem eſſet vocatus, de cuius religioſis S. Philippus Nerius (quocum diu ſe, ac familiariter egiſſe gloriabatur) dicere ſolebat: *Filij Ignatij qui perſeuerant in Societate, ibi moriuntur ſancti*. id eſt, obeunt mortem ſanctam.

Orandus enixè *Deus*, vt ſua in nobis propitiatus dona cuſtodiat; faciatq; dignos qui perſeueranter in Societate *Ieſu*, veri Ignatij filij viuamus, & ſanctè in nomine *Ieſu* ad maiorem *Dei* gloriam moriamur.

CAP.

CAPVT XVII.

Pretioſa erit ægri occupatio, mortem ab alijs in Societate pretioſè obitam legere; audire.

1 MAgnoperè id faciet ad mortis bonæ artem optimè condiſcendam: Primus è Societate *Ieſu* diem obijt *P. Iacobus Hoſius* (Didacus de Hozes) Patauij. Hic Patauij præter ſolitum, non in templo, vt aliàs factitabat, verùm in foro, ſolenne illud ex ore Chriſti thema deproptum ingeminabat: *Vigilate! & orate! quia neſcitis quà horà Dominus veſter venturus ſit.* De quo ille apophthegmate excitatè omninò diſſeruit, quaſi nunquam vltrà dicturus. Reſpondit paulò poſt præſago animo euentus felix, quando felicem vitæ finem ſortitus eſt; adſtante, & vltimum vitæ ac mortis apparatum procurante Ioanne Codurio. Felices verò fuiſſe haſce Societatis primitias cælo datas, teſtabatur is, qui in extincti Iacobi vultu viuebat lætus decor, qui Ioanni Codurio iucundę voluptati fuit vſq; ad lachrymas. Maius illud eſt, quòd Petro Ortizio Caroli V. Oratori in Montis Caſſini ſeceſſu ſacris exercitijs excolendo intentus Ignatius, *animam Iacobi* (vt ibidem olim Germani ſui diſcipuli S. Benedictus) *ab Angelis triumpho nobili in cælum ferri conſpexerit.* Deinde ſub initio Miſſæ cùm in con-

1538. in Martio.

Primi qui in Societate mortuus eſt animam cælo inferri vidit S. P. Ignatius.

ſueta

ſueta confitendi formula de *omnibus Sanctis* fieret mentio, vidit Ignatius mente ad diuina abductus, aperta cæli adyta, & inter triumphantes illic in beatà luce Sanctorum choros beatà luce collucentem Iacobum permiſtum agminibus Beatorum: quæ res tantam Ignatio voluptatem impreſſit, vt teſtes admirabilis amabiliſq; ſpectaculi lachrymas, per dies complures, magno ac recenti ſemper ſenſu, vbertim fuderit; glorioſà illà primi ſui in cælo filij ſpecie animo obuerſante: quaſi ſemper illum in beatà illà cælitum conſortione aſpiceret. Lætabatur nimirùm ſolidiſſimà, tenerrimàq; ſuauitate perfuſus, quòd in Iacobo, qui primus poſt nouem alios ſe naſcenti Societati addixerat, ſiue qui decimus erat in numero Sociorum, decimam dediſſet *Deo*; ſimulq; triumphantes militantis Societatis *Ieſu* primitias videret in triumphante Societate Ciuium Supernorum, qui illic tot ſecuturos ad gloriam Socios expectaret.

Eandem iterùm ſpectauit in choro Beatorum.

2 *Marcus Laynez* Romæ moriens, & ipſe primitiæ dormientium in Societate iam à Sede Apoſtolicà approbatà dici poteſt. Hic in Romano ægrorum Xenodochio magnà commendatione verſatus, pro more tironum; inde æger domũ redux, breuì conſummatus expleuit tempora multa. A morte, Iacobo Laynio germano ſuo adſpectabilem ſe dedit, ac dixit: conſanguineos per epiſtolam de morte

1541. in Iulio.

Benè nobis erit poſt mortem.

ſuà

Orland. l. 3.n 18. Ribad. vitæ Laynez l. 1.c.3.

ſuà vt ſolaretur,& fleri ſe ab ijs vetaret, vtpotè cui in cælum recepto benè ſit. Ecce duo primi quàm pretioſè nobis præierint ad ſpem dulciſſimam hauriendam pretioſæ mortis in Societate obeundæ.

Anno 1541.

3 *P. Ioannem Codurium*, vnum è primis decem, ad mortem cæleſtes deliciæ præparabant: quas ille miras perſenſit cùm 7. Vrbis Eccleſias viſeret, vnà cum Ignatio, Socijſq;, adeò vt inter lachrymas atq; ſingultus, neq; clamores tenere potuerit; nonnullis exiſtimantibus illum breuì de mente, vel de vita etiam, migraturum. Proximum videlicet, inquit Orlandinus, præſagiebat exitum ex his compagibus corporis,& ad illum iam appropinquantem ſe ipſe parabat. Pro ægro Ioanne ſacrificaturus ibat ad aureum S. Petri montem Ignatius: & in ponte repentè ſubſtitit, vultu in cælum defixo. Mox Baptiſtæ Violæ comiti ſuo dixit; Ioannem expiraſſe. In ea verò, quam ad Petrum Fabrum dedit, epiſtolà Ignatius ait decedentem Codurij animam à pio viro in oratione defixo, conſpectam in luce coruſcam in cælum inter choros Angelorum deportari. Hoc etiam non omittendum: Ioannem in S. Ioannis Bapt. nati die natum; eius nomine inſignitum; eiuſdem natali luce Sacerdotio initiatum; eiuſdem morientis die de vita decedentem in cælum ire conſpectum. Primo è Societate *Ieſu morienti*

Lib. 1.n.19.

Anima Codurii in cælum deportatur.

Hoſio

Hoſio primus adfuit Codurius; & vtrumq; hunc in gloria vidit Ignatius. adeò vt primus inter Socios moriens ab Ignatio, ſecundus à Lainio, tertius itidem ab Ignatio ſit viſus in Collegio Beatorum: præclarà nobis relictà fiduciâ, futurum, vt nobis in eadem Societate, in qua illi primi obière, perſeueranter viuentibus, ægros noſtros amanter peritèq; in agonali illo certamine iuuantibus, felix & fauſtus exitus contingat, beneficentià *fidelis* illius *Dei* per quem vocati ſumus in Societatem Domini Noſtri *Ieſu* Chriſti. 1.Cor.1.9.

4. *Gregorij Cabedi*, iuuenis ad res diuinas experrecti, mors in itinere apud Fanum fortunæ obita, Iulio Cabedo eius Patri diuinitùs innotuit Mutinæ. Solatio ſibi opus non eſſe dixit Patribus filij mortem nunciantibus: à ſe enim ægro, & diuinis cogitandis intento viſum filium ſuum ingenti cum gaudio in Cælum ferri. Amitæ quoq; oranti Ferrariæ, modeſtià vultus, & maieſtate mirà conſpectus eſt. Annò 1557. Hiſt.Soc. à n. 125.

5 *P.Franciſcum Villanona* Compluti mortuum, P.Martinus Gutterius decimo poſt obitum die diuinitùs cognouit beato *Dei* conſpectu iam frui. 1557. 5. Maii. Hiſt. num. 136.

6 *P. Daniel Paëibruck* Rector Collegij Montis Regalis in Sicilia, multis ante obitum diebus Rectori Panormitano, & Prouinciali Domenecco æger dixit; apparuiſſe ſibi iuuenem vnà cum duobus comitibus, ac denun- 1558.

Imago. 1. ſec. Soc. pag. 872. 25. Dec.

ciaſſe, die natali Domini migraturum è vita poſt prandium. Verùm ambigebatur de fide vaticinationis. adeò enim eius malum increuerat, vt moram tantam laturum non videretur. At præſtituto die, ille edito tantùm ſingultu, vinculis ſolutus eſt corporis. Quæ mortem ſecuta ſint, narrat Hiſtoria: quæ ait etiam à P. Theodorico Gerardi moriente Viennæ Auſtriæ auditum concentum Angelicũ, vt diximus. Hi nempe ſunt è numero illorum quieſcentium, qui, vt ait Ambroſius, *quaſi mortis exortes, dulci quodam ſopore tenentur*.

Num. 93. & nu, 119.

Lib. de fide reſurectionis poſt med.

1583. Chriſtus, B. V. & Sancti circa lectum.

7 Nouellariæ moriente *Lælio Nicheſdio* Nouitio, teſtatus eſt de Societate quidam viſos à ſe circa illius lectulum in corona mirificè glorioſà, ipſam *Dei* Matrem cum Sanctis Cæli Ciuibus, & beatis Angelis: atq; in coronæ huius beatæ medio Chriſtum Solis inſtar pulcherrimè collucentem.

8 Morientes in Societate *Ieſu*, qui alios ad *Ieſum* deduxerint, quæ gloria maneat, accipe totidem verbis, quot verbis perſcripta ſunt ab authore epiſtolæ annuæ anni 1610. de Collegio Aquilano. Illa ſic habet: Fuit & viſio illa cuiuſdam Virginis ſignum pietatis non vulgare, quam quidem nunquam commemoraſſem, niſi fidem argumenta feciſſent. Videre ſibi viſa eſt *Deiparam* cum Infantulo *Ieſu* præſentem, & longam ſimul ſupplicantium ſeriem. Ordinum omnium, & ætatum anteſigna-

Num. 12.

ſignanus cum eleganti vexillo è Noſtris erat, cui ſidus in fronte ipſo ſole lucidius micabat. Multi præterea de Societate in illa multitune permiſti incedebant, agmen velut inſtruentes, qui ex ſidere, quod fixum frontibus erat, facilè dignoſci poterant. Virgo quid id ſpectaculi ſibi vellet, Chriſtum ipſum interrogat. Is Beatorum eſſe reſpondit manum, vnàq; ad cæleſtes illas domos contendere: viros autem illos aſtris notatos, pulliſq; veſtibus gradientes, *Ieſuitas* eſſe, quorum labore & induſtriâ tot alij ad cælum deducantur: eaquepropter, primipilorum, ductorumq; in eo ordine officio fungi. Nunquam antea Noſtros viderat hæc Virgo. Sed vbi primùm deinde ad ædem noſtram vnum offendit, ad comitem conuerſa; En, inquit, agnoſco habitum: Societatis eſt. Sed hæc erit ſuauius experiri, cùm & nos eò per mortem ſanctam eduxerit bonus *Ieſus*. Videtur verò iſta gloria ad eos cumprimis pertinere qui morientes aſſiduitate ac induſtriâ omni iuuant, ac veluti anteſignani ſub vexillo *Dei* ad cælum ducunt, ad finem vſq; fideles in prælio vltimo contra hoſtem teterrimum amici, & adiutores. Hi certè in quo genere miſericordiam faciunt, in eo illam liberaliſſimè conſequentur.

Glorioſa res, animas ad cælum ducere.

9 *Reinerius Statius* Coloniæ in rei domeſticæ adiutorem admiſſus, dum Treuiros petit, vix itinere vnius diei confecto, in morbum

Annuae Treuir. 1605.

Digitized by Google

incidit: quo repentè ita debilitatus eſt, vt facultas longiùs progrediendi non eſſet. Creſcente, iamq; omnes artus peruadente morbo, putabat humanitus fieri non poſſe, vt ad deſideratum locum perueniret. Quid faceret? Ad *Dei* Matrem, cui peculiariter addictus erat, tanquam ad ſacram anchoram, ardentiſſimis votis circa medium noctis recurrit. Nec fruſtrà: Repentè adeſt inſtar ſpecioſiſſimæ Matronę, pio adoleſcenti pia Mater, magnà luce circumamicta: collaudatoq; pio ineundę Societatis deſiderio, Treuiros tandem ad deſtinatam metam peruenturum prędicit, ibiq; ad meliorem vitam migraturum. Hoc viſo recreatus, partim Angelo, vt ipſe aiebat, impellente, partim duobus vię comitibus, quos eiuſdem quoq; propoſiti ſocios habebat, adiuuantibus, ceu portum tandem Bethlehemiticę domùs, incredibili ſuo cum gaudio attigit. Vbi cùm per Superiorem vocato Medico nihil prętermitteretur, quo refocillari ęger, reficiq; poſſet; Fruſtra, inquit ille, iſta: Iam enim de vita hic finienda prępmonuit me *Dei* Parens; eademq; breui cum Filio, & Angelis aderit, ad immortales me ſedes deportatura. Itaq; ſępiùs exomologeſi factà, Sacramentiſq; omnibus ritè munitus, duodecimo poſt ingreſſum die, mirà ſuauitate concinens *Alleluia*, omniumq; circumſtantium animos, ad grates *Deo* reddendas, permouens, beatam

Beatiſſ. V. ſolatur ægrum.

ani-

animam *Deo* reddidit. *Iacobus* quoq; *Palkouich* religioſo morum candore amabilis, eo die letali febri correptus eſt quo monitus eſt de Philoſophię vniuerſę theſibus propugnandis. Hic ipſo ſuę mortis die vocatis ſocijs dixit ſe eo die moriturum. Paulò ante mortem elatâ voce hilari cecinit: *Ieſu dulcis memoria Dans vera cordis gaudia*, *&c.* & obijt Tyrnauiæ. 1641. 2. Iun.

10 In Collegio Mincenſi, vt aliàs memini, moriens *Rochus Mannarà* Coadiutor, ſe repentè in amplexus explicans, vltimas vires collegit, & apparenti ſibi (vt ſibi perſuadebant qui hominem nòrant) B. Virgini; *O Mater*, inquiebat, *O Mater*! Ita obijt exultabundus. Mincenſes teſtes locupletes, atq; ipſe P. Pompilius Lambertengus Siciliæ Prouincialis (qui ſe id attentè ſpectaſſe affirmauit) teſtati ſunt, viſam à ſe ſtellam, quæ meridie in Cælo ſupra Rochi morientis cubiculum viſendam ſe omnibus præbuit, nec videri deſijt ante euolutum à morte octauum diem. 1630. 15. Iun.

11 *P. Georgius Forro* ſenex inclyti nominis, dicendo ſolidè ardens, candore, ſuauitate, pietate Angelicus, teneras ad Angelum Cuſtodem identidem allocutiones habere auditus eſt: cuius etiam, & quidem aliquando aſpectabilis, ope manifeſtè adiutum ferunt annuæ Auſtriæ Prouinciæ, quam per annos quinq; gubernauit. In ſacrificio miſſæ, atq; inter dicendum ad populum, dulces illi lachry- 1641. 18. Oct. Annuae, & elogium eius prolixius.

chrymæ vocem aliquando ſingultu interclu-
debant. In morbo ſupremo per ſuaue noctis
ſilentium *Te Deum laudamus*, Ieſu *dulcis me-
moria*, & Marianum *canticum* ſæpiùs audire
delectatus, verbis & lachrymis teſtabatur cę-
leſtes illas voluptates, quæ, tanquam illique-
factæ, bonum illum animum perfundebant.
Pro mortis apparatione ſolebat cùm Colle-
gia viſeret primò ad SS. Sacramentum, dein-
de *ad ægros*, ſi qui eſſent, adire: & quicquid in
longis & arduis per Prouinciam itineribus
pateretur, dicere: Deus *hoc pro felici meà morte
accipiat*. Tirnauiæ morienti, dulci ſolatio fuit,
quòd nihil omninò haberet. A ſuſcepto via-
tico gratias *Deo* pro fidei, pro vocationis, &
in ea perſeuerantiæ dono egit: tum Societati,
quòd per annos 54. ſibi Mater tam patiens,
indulgenſq; fuiſſet. A *Deo*, à Societate, à
præſentibus veniam erratorum petijt: candi-
dè tamen, *malitioſum ſe nunquam fuiſſe teſtatus*.
Deinde flagranter, vſq; ad audientium lachry-
mas, præſentem coronam allocutus, dilecto
ſuper omnia *Deo*, & *Dei* Matri animam dedit.

Omnia dura pro felici morte offerre.

12 *Cæſaris Caietani* æri nuper inciſa effi-
gies manu mortem oſtentat: hanc ille Panor-
mi obijt poſteaquam poſitis anno 1651. 30.
April. Caſſari Principis, & Sortini Marchio-
nis opibus, tituliſq;, Romæ Societati nomen
dedit. Quotidianis à *Deo* precibus petebat,
vt ſibi præſens tabe hecticà, vt die aliquo

5. Aug. 1651.

Bea-

Beatiſs. V. ſacro; deniq; vt intra primum initæ Societatis biennium moreretur. Et obtinuit. Ad Aloyſium Principem natu iuniorem, ſuum in dominatu ſucceſſorem, aiebat ſe in ſinu Matris ſuæ Societatis omnia reperiſſe. Miſeret me veſtri, dicebat, ò ſeculares, ò mundi homines, mancipia Domini tàm ingrati! Gaudebat ſe in religione mori; & experiebatur illud Bernardi: *In religione homo moritur confidentiùs*. Ea dicebat, & agebat, quæ Marchionum quidam cùm videret, exclamauit: *O pulchram mortem! Huc veniat qui B. Aloyſium videre deſiderat.* Legi ſibi optabat P. Martini de Roa libellum de ſtatu vitæ alterius. Audito ad viaticum afferendum æris campani domeſtici ſono, *Dei* Matrem eius apparatè accipiendi *Præſidem* eſſe voluit; eòq; illius roſarium, ſeu coronam, oſculo veneratus, collo circumdedit: ſeq; ita compoſuit *atq; ſi ſuſcepto Sanctiſsimo Viatico ſtatim eſſet animam editurus*. Dicebat identidem deſiderij plenus: *Pater, ecquando moriar? Obſecro docete me modum benè moriendi*. Quinquies ita ſe ad mortis velut experimentum cum Crucifixo, roſario, manibuſq;, compoſuit. Iucundum illi erat cogitare quòd vltimum in terris haberet diem S. ſuæ *Mariæ* Maioris ad Niues. Et verò illo die (do verba eorum qui adfuère de illo ſcribentium) mortuus eſt inſtar ſancti. Vixit vt Angelus; mortuus eſt vt ſanctus. O quàm

Vocatio.

Lectio Spirit.

B. V. præſes viatici.

Modus optimè communicandi.

Digitized by Google

quàm pulcher, quàm totus pulcher erat in morte, & poſt mortem! Ita illi. Reliqua fuſiùs in eius vita. Maximiliani Bauariæ Ducis vox eſt, auditâ *P. Martini Sideler* morte dicentis: *Beati qui in Societate veſtra moriuntur.*

Breuiar. annuar. Coll. Monac. 1615. pag. 19.

CAPVT XVIII.

Pro pretioſâ occupatione, æger gratias Deo *quàm tenerrimas agat, quòd in Societate* Ieſu *moriatur.*

1 IPſa etiam anima, in victimam, & holocauſtum grati animi, per mortem offerenda eſt *Deo*, quòd te (id quod per SS. omnium interceſſionem in Societate petiuiſti quotidie) *Deus* in ſuo ſancto ſeruitio *confortare & conſeruare* ſit dignatus vſq; ad mortem, mortem autem in cruce *Ieſu*, in amplexibus Crucifixi, in ſinu *Mariæ* obeundam. In Cæſareis caſtris *P. Ioannes Rorunolf* ob morum ſanctitatem paſſim Angelus vocabatur. Atq; hic Angelus ipſo S.P.N. Ignatij natali die ad cæleſte Angelorum Collegium accerſitus, æternæ pacis patriam eſt ingreſſus. Duodeuigeſimo ante obitum die, cùm iam æger decumberet, duos, eoſq; olim cùm inter viuos agerent, ſibi familiares, Patres vidit, agnouit; & ecquid vitâ iam pridem functi adueniſſent percunctatus, reſponſum audijt,

In Litaniis SS. oo.

1646.

audijt, diſertè dicentium; adeſſe ſe, vt amicum ſuum ad cæleſtem Societatem inuitarent. Et verò adeò valuit inuitatio, vt cæleſtium plenus deliciarum *Ioannes* totus per reliquos vitæ dies hiaret in cælum, neq; alium niſi de felici exceſſu ſermonem admitteret. Ita nos præceſſit eò quò fuit inuitatus. Iamq; nos & ipſe, & omnes alij cæleſti Societate donati, inuitant, quotquot illuc ſiue cruentà ſiue incruentà morte euaſère fortunati, quorum iam felix fortuna peracta eſt. Inuitamur ad cælum.

2 *P. Franciſco Suarez* in Societate viuere, ac mori tanto ſolatio fuit, vt morituro frequens illud eſſet in ore ſuſpirium: *Expectans expectaui Dominum! Quàm dilecta tabernacula tua, Domine!* Ibi ſuaui quaſi deliquio, placido quodam, tacitoq; gaudio fruebatur, ceu iam præ foribus eſſet, vt intraret in gaudium Domini ſui. Mox ab illa quiete, atq; lætitijs ad ſe redux, tametſi multa ſæpè de felici beatæ mortis iucunditate audijſſet, legiſſet, dixiſſet, ſuperante tamen omnia propriâ experientiâ, vltima inter gaudia, in ipſo vitæ huius alteriuſq; confinio, voce iucundà dixit non iam illaudatum illud *Non putabam*, verùm admirabilium, quas prælibabat, lætitiarum teſtem vocem: *Non putabam tam eſſe ſuaue, tam dulce mori.* Atq; hac ille ſuaui dulciq; morte, in æternas vitæ immortalis, dulciſſimaſq; 25. Sept. 1617.
delicias eſt admiſſus anno ætatis 70. Societ. 54.

Digitized by Google

Hanc ego experientiam tuo etiam ac meo exemplo teſtatam eſſe deſidero, lector, vt opinione noſtrâ maior ſit nobis ipſa experientia pulcherrimè moriendi.

3 Treuiris *Georgius* tiro moriens, mirabi-
1605. li gaudio exultans, *Deum* prædicare non deſiſtebat, hiſce vocibus, ad ſtuporem audientium: *Benedictus* Deus *in æternum. Benedicamus Patrem, & Filium, cum Spiritu ſancto. Benedictus* Deus, *qui me ad hanc felicem horam perduxit.* Et obijt.

4 *Ioannes de Neue* Coadiutor ſeptuageſimo ætatis anno Mechliniæ diem vitæ clau-
1651. 8. Oct. ſit extremum. Omitto de illo nunc reliqua. In morbo, quantumuis febri ac ſiti arderet, nunquam tamen, quo refrigeraretur, aut quod biberet, petijt; ſi vltrò aliquid offerretur contentus: idq; Chriſti grauiora paſſi exemplo. Sui affligendi ſemper amantiſſimus, omnes corporis afflictationes, quas iuuenis in vſu habuerat, ad vltimam vſq; ætatem conſtantiſſimè tenuit. Aeger iunctis ferè in precantis modum manibus reperiebatur; atq; illud ſæpè ingeminabat ſuſpirans: *Quid retribuam tibi, Domine, pro omnibus, quæ retribuiſti mihi, & adhuc tribuis?* Solatio admirabili exultantem interrogauit quiſpiam: Ecquid ſibi maximo ſolatio eſſe putaret. Reſpondit: quòd in Societate moreretur. Atq; eam in rem, præter quotidianum, ordinariumq; ſuum roſarium, aliud

aliud addidit, quod ille pro felici morte in Societate conſtanter obeunda ſingulis vitæ ſuæ diebus, per poſtremos, eoſq; multos, vitæ ſuæ annos, certà ad id præſtitutà horà perſeueranter dixit. Hinc illi tanta per omnem vitam, & maximè ſub mortem, è vocationis dono fluentia cordis ſolatia. Imò obſeruatum eſt, illum eàdem horà felicem animam exhalaſſe, quà deſtinatum ſuum Roſarium iam inde à 40. & ampliùs, annis, quotidie pro ſanctà in Societate perſeuerantià, & fortunato in illa exitu perſoluebat. Corona pro perſeuerantia quotidie recitata.

5 Longum nominum Catalogum texere deberem, ſi meminiſſe vellem ſingulorum, qui ſub vitæ finem *Te* Deum *Laudamus*, dixerunt, vel dici petiuerunt in vltimum carmen gratiarum actionis, quòd in Societate *Ieſu* morerentur.

6 P. *Ludouicus Carlier* Tornaci exceſſit vità. Is ad mortem prçclarè ſe vitam ſuam compoſiturum arbitrabatur, ſi audita ex encyclicis, vt vocant, de morte noſtrorum literis prçclara virtutum exempla ad ſuæ imitationis ſupellectilem colligeret. Vocationis amantiſſimus, Noſtris poſt acceptum viaticum id in monitis dedit, vt amarent vocationem ſuam, & dignè eà ambularent, &c. Quod ad me attinet, inquiebat, gaudeo me mori in Societate: magis gauderem, ſi *Dei* causà morerer, etiam in patibulo: quem rogo, vt dignetur 1615 6. Maij. Imitatio meliorum. Deſiderium Martyrii.

reſpicere hanc voluntatem; cui ex animo ſupplico, vt ſanguine ſuo deleat omnia peccata mea, & miſereatur animæ meæ. Ita ille. De Martyrij deſiderio conceptis verbis ſub mortem expreſſo complura ſunt exempla, quæ omitto.

1650. 2. Iulii. 7 *P. Petrus Schleumer* Monaſterij Eifliæ priùs quàm expiraret, *Te* Deum *Laudamus*, cecinit, pro vocatione gratias agens, & quibus poterat viribus de obeunda in caſtris *Ieſu* morte exultans. Vltimis deinde, ac infimis precibus rogauit, vt completo vocationis ſuæ beneficio, id eſt, morte in Societate à ſe obità, ſtatim atq; conſuetum æris campani ſignum ſuæ mortis index dabitur, omnes, omnes, qui ſuis precibus flecti dignarentur, in anathema æternæ gratiarum laudationis pro vocationis ſuæ cum vità completæ beneficio verè magno, verè æſtimando, *Te* Deum *Laudamus*, *Deo* dicerent; ita amicum mortuum in agendis *Deo* pro gratià illà tantà gratijs adiuturi.

Rogandi alii vt nos in agendis Deo gratiis iuuent.

1574. 8 *P. Sebaſtianus Romæus* moriens gaudebat quòd nunquam ad vllius è Societate dimiſſionem ſuum ſuffragium dediſſet. Dicebat ille Societatis filios nunquam, niſi in morbo, quieſcere; aliàs ſemper, & ſine requiete, ſatagere pro *Dei* gloria. Et verò talis erat ille, quales alios æſtimabat. Vidit illum iam ex humanis ablatum P. Iulius Mancinellus, in orna-

Quieſcemus in cælo: nunc laborandum.

ornatiſſimo lecto, ſub conopeo candido, placidiſſimè quieſcentem. Sic ibi quieſcemus. Interea dum valemus, laborandum: dum ægri ſumus, etiam laborandum eſt morbo, doloribus; ex renibus, capite, membris alijs. Gratiæ *Deo*, qui nos in laboribus tali quiete coronandis collocauit.

9 *P. Theodoricus Gerardi* (quem dixi mortuum Viennæ in Auſtria, audito priùs concentu Angelico) à ſacro Oleo, & gratijs pro eo beneficio cumulatè actis, dixit quòd quemadmodum in ſanctæ fidei rebus dubitare ac deliberare nefas eſt; ita in vocatione nullum dubitandi, nullum deliberandi eſſe locum relictum. Si quid igitur vnquam aduerſus eam diabolus cogitationi obijciat, illicò, vt fit in rebus fidei, abigendum. Hiſt. Soc. p. 2. l. 2. n. 119.

10 *P. Gonzaluus Barnouus* in Perù ſub vltima iam vitæ ſpatia: Quis, inquit, non altiſſimè ſentiat, Patres mei, de Societatis Inſtituto? O quam religionem! O quàm certum centuplum, quod in illa morientibus promittitur! O quale centuplum! Et vixit! Diſce à moriente, quis de inſtituti reuerentia debeat ſenſus eſſe viuentium, & quæ leges lætitiæ in eo accuratè ſeruando. 23. April. 1623.

11 *M. Carolus de Pau* infimæ Grammaticæ docendæ iterùm datus, ad Crucifixum cordi admotum, & amplexu adſtrictum; *O Bone, ò Bone* Ieſu! Ieſu, aiebat exclamans,

quàm

quàm bona, quàm Sancta Mater Societas Ieſu! Et inuocato dulciſſimè B. ſuo Aloyſio, ad Medicos de vitæ ſpe ab aliquo interrogatus inquit: Actum eſt, Domini Doctores, actum eſt. Ad Cælum imus: ad cælum. Nolite obſecro me hìc retinere; iam vocor ad menſam cæleſtem. O quàm ſplendidè ibi epulabor! Mox ad Patrem: Iam tempus eſt, ò mi
Gandaui 1621. 5. Sept. Pater: dic *Proficiſcere, anima*: quam commendationem iterùm redordiri paranti Patri; Non eſt opus, inquit Carolus, mi Pater: ſatis eſt Iam vado. & in illa verba, moriens defecit.

1599. 17. Ian. 12 Montis regalis Collegium extulit *P. Ioannem Baptiſtam Vaninum*. Cùm primùm decubuit (verba ſunt annuarum) nunc demum, inquit, agnoſco non irritas meas fuiſſe preces: Siquidem grauis annis, parùm idoneus laboribus, *Deum* ſupplex pro finiendà vità rogaui. Manabant interea vbertim lachrymæ indices cæleſtium animi voluptatum. Diuinans quoq; prædixit; ſe ex eo lectulo non ſurrecturum incolumem, ſed circa brumam migraturum è vita, &c. Certior de imminente morte factus, contentà voce, & cum lachrymis hæc verba ingeminauit: *Iuſtitia* Dei! *Iuſtitia* Dei! Rectore blandè recolendam miſericordiam ſuggerente; *Timeo*, inquiebat, *ac tremo Iudicem, qui dixit; ego iuſtitias iudicabo*. Memoria tamen vitæ in Societate exactæ, & mortis in ea obeundæ poſtmodum alle-

alleuauit metum. ac tandem confirmatior abijt ad ſuperos.

13 *P. Bonauentura Paradinas* cùm Landſpergà Monachium æger abiret, Nouitijs ſuis intentionem ſanctam, orationis, mortificationiſq; ſtudium commendauit. Ad hæc reſignatam quandam animi æquitatem: *vt cùm extrema hora venerit, poſſimus dicere; Domine me tibi ſemper tradidi.* deniq; mutuam charitatem, & pium B. Virginis cultum, ſtudioſumq; obſequium. Sub mortem, felicem prædicabat eam, quæ in Societate vita exigitur; quòd vel nemo grauiùs in ea peccet; vel quantocyùs peccata corrigat.

1595. 5. Octob.

Tradere ſe Deo.

Vocatio.

14 *P. Ignatius Martinius* primà eius quo deceſſit anni die, dixit: Se verò enixè optare, & facturum id, ſi quidem poſſet, totam vitam reliquam poſitis humi humillimè genibus traducere ſupplicem: & iunctis, ac porrectis in cælum perpetuò manibus nil aliud agere, quàm quantas quantas, quàm enixè impenſèq; poſſet, gratias agere Sancto, ſuaui, & liberali *Deo*, quòd ſibi à puero ad 70. vſq; ætatis annum in Societate viuendi gratiam eſſet largitus. Duos ferè menſes adhuc inter hos actus viuentem, & meritis, vt olim ex vita patebit, plenum, pulchra mors in ciuium Sanctorum Societatem aſſeruit.

1. Ian. 1598.

Gratię Deo agendæ.

28. Febr.

15 *P. Ioannes Franciſci* Cortraci 77. ætatis anno è vitæ ſtatione vocatus eſt, id quod arden-

7. Ian. 1624.

ardenter cupiebat, vt ab omni peccandi periculo procul eſſet. ideòq; aiebat: Domine, impone mihi finem qui nunquam impono. Da hìc patientiam, & poſtea indulgentiam. Audierat primo in tyrocinio vocem nec humanam, & certam, dicentem: *Ioannes, ſi in Societate perſeueraueris, ſaluaberis.* Tres quotidie Diuinæ Matri Coronas dixit; vnam pro animarum fidelium in purgatorio leuamento: alteram, ac tertiam gratiarum, pro beneficio vocationis ad Societatem, & pro felici obitu in ea obtinendo. Fugiente licèt iam animà, & in ipſo mortis ac vitæ confinio ſe videns, tamen; orate, inquiebat, pro me, ne vocatione excidam.

Quotidie B. V. oranda pro felici morte.

CAPVT XIX.

Si omni humanà ope te in morte videas deſtitutum, quid tunc agendum.

1 AGendum id quod egit is quem nunc narrabo. Sancti illius *Franciſci Xauerij*, tantis cæli ac terrarum ſplendoribus, dotibus, honoribus admirandi, vitam ſi æſtimes, & admirabilitatem geſtorum, teſte etiam cælo; putabis mortem illius fuiſſe omnibus cæli terræq; opportunitatibus plenam. Et tamen ille Xauerius in æſtimatione *Dei*, *Dei* Matris, Cælitum, ac hominum, tantus, moritur

Digitized by Google

ritur abſq; ſolatio, non in Ignatij Patris chari amplexibus, non in fratrum comprecantium, collachrymantium coronà, non Sacramentis vltimis piè communitus; ſed abiectus, deſertus in mundi angulo; ſi interroges cælum, moritur ſanctè; ſi terram, non ſplendidè, non commodè.

2 In Inſula Sanciano, vbi in omnes Regnum Chinarum ingrediendi occaſiones intentus opperiebatur, poſteaquam religioſiſſimè vltimùm ſacris operatus fuiſſet, idq; pro quopiam vità functo; febris vehemens repentè increuit, & Xauerium proſtrauit. Quæ duo autem ægris maximo ſolent eſſe ſolatio, loci, hominumq; opportunitas, illud vtrumq; defuit Xauerio morienti. Locus erat Inſula ſterilis, & neglecta, ideòq; pauperrima, cùm nihil ab ipſa terra, nihil ab hominum induſtrià illi prouiſum eſſet. Nulla ibi domus, ſtabiles ciues nulli. Talem ergò locum elegit *Deus* exercendo ſuo Xauerio morienti. Homines verò qui cum Xauerio erant, non animo, non corpori leuando, iuuando erant idonei. Nemo, qui Sacramentis, & ſacris officijs ægrum recrearet, Sacerdos; nemo qui corporis, quoquomodo curandi curam haberet, medicus; nemo, qui fidelem, & peritam illi operam ſuam in extrema rerum omnium penurià præſtare poſſet. Adde quòd eo temporis articulo mortifera illum febris inuaſit, quo ille to-

1552. 20. Nou. Vltimum ſacrum celebrat pro defuncto.

Moritur ibi vbi nulla commoditas loci.

Vbi homines nulli apti ad iuuandum.

Nulla Sacramenta.

Nulla medicina.

Digitized by Google

tus in Sinarum ſalutem, & proxima Regni limina deſiderio hians deluſus eſt, & nobilem ſpei, quam de ingreſſu illo conceperat ramum, ſeu palmam, ſibi in manibus velut infringi vidit. In hac animi, deſiderio tanto, ſpe tantâ repentè fruſtrati, deſtituti ſtatione, tametſi *Deo* ſe iungeret, intimo tamen quodam igne, velut à graui plagâ acceptâ, vrebatur Xauerius: vt iam videas illum in eo rerum articulo à morbo & morte fuiſſe deprehenſum, in quo, vulgari rudium æſtimatione, mors iudicari poſſet infelix. At conſcius venientis horæ, ſerenus animo, ac ore toto Xauerius, iam antea ſe breuì è vitâ diſceſſurum prædixerat: & aliàs faſſus eſt, ſibi in locum deſiderij animarum, deſiderium videndi *Dei* ſenſim in animo ſuccedere, atq; illam flammam ab hoc igne abſumi.

Deſideranda viſio *Dei*.

3 Ergò in naui paupere (nam opulentæ iam abierant) ſe ſe inter ægros, illis leuamento futurus, æger ipſe collocat Xauerius. Verùm vbi morbus iam grauior vires exeruit, in terra, in publico iacere maluit, quàm in naui. Luſitanus quiſpiam *Georgius*, ſortem viri tanti à morte proximâ æſtuantis miſeratus, illum domo ſuâ, ſeu mapali potiùs, recepit. E ſarmentis, & arborum ramis textam caſulam facilè perflabant frigidi venti; neq; lectulus alius, aut puluinar fuit morienti quàm terra modico ſtramine cooperta. Ferebat morbum, nihil

Lectus illi terra & ſtramen.

Digitized by Google

nihil his turbatus Xauerius, eà gratæ erga paternam *Dei* prouidentiam mentis tranquillitate, quà decebat Sanctum, & iam in cæli limine conſtitutum. Ipſe etiam deſiderij morſus, quo non piam tantùm in Domino, ſed cruentam pro Domino mortem oppetere appetebat, diuinæ voluntati ſubiugatus, ab illo in holocauſtum martyris, ſiue occiſæ in *Dei* obſequium, voluntatis, *Deo* eſt oblatus à deſiderante Martyrium, ſed præ illo diuinę ſe voluntati addicente Xauerio. Martyriũ optabat Sed magis voluntatē *Dei*. Cui illud deſiderium in victimā offerebat.

4 Poſt ſeptimum morbi diem triduo iacuit abſq; facultate loquendi. Supremum verò vitæ biduum inter ardentia cum *Deo* colloquia fluxit Xauerio. Etiam cùm mente non nihil aberraret, cæleſtia loquebatur. Nihil ad venam bis ab homine rudi & infeliciter apertam, nihil ad alia perturbatus, iacebat proiectus in ſinum prouidentiæ *Dei* quantò deſtitutus magis Sacramentorum ope, fratrum comprecantium coronà, & alijs, quæ domi morientibus adeſſe ſolent ſolatijs, tantò magis exaggeratè affixus *Deo*: Ieſu! Ieſu, *fili Dauid, miſerere mei*; aiebat. Et eum, quem è collo ad cor geſtabat Crucifixum exoſculatus, dicebat: *Tu, peccatorum meorum miſerere*. Inde familiarem ſibi precem ingeminans inquiebat: *O Sanctiſsima Trinitas*! Ad magnam verò, cuius maternam opem expertus frequenter fuerat, *Dei* Matrem conuerſus, ſuſpirabat: Triduò mutus. Vena illi imperitè aperta. Iaculatoriæ illius preces.

rabat:

rabat: *Monſtra Te eſſe Matrem! Mater* Dei! *memento mei*! contentus illam vno, ſed ſummo,& auguſtiſſimo titulorum omnium *Matris* Dei titulo compellare.

5 Deniq; moriens, vltima ſuſpiria in hæc ad Crucifixum verba effudit: Ieſu! Deus *cordis mei*! & lachrymis aſperſit. Deinde vltimos morientium oculorum obtutus,vires vltimas Cruci affixo *Ieſu* conſecrauit, & *Ieſum*, *Mariam* primò integris, ac poſtea intermortuis vocibus ingeminans, 55. ætatis anno,Indicarum ærumnarum 10. & menſe 7. poſt dulces lachrymas, & ſereno vultu pronunciata illa verba: *In te, Domine, ſperaui; non confundar in æternum*: alterà poſt meridiem horà, ferià 6. magnam animam à corpore multa gloriosè perpeſſo, cælo coronandam dedit:ac oſtendit,etiam eos, qui omni humanà ope, atq; adeò ipſo deſiderato Sacramentorum præſidio,deſtituti ſunt,à *Deo*,niſi velint deſeri, deſeri non ſolere,ac ſanctè mori poſſe. Et tum ligneum Chriſti Crucifixi ſimulacrum, quod paterna in domo Xauerij vltimo eius vitæ anno ſextà quàuis ferià, & aliàs, ſiquid præter ſolitum pateretur Xauerius, largo ſudore perfluebat, à ſudore ceſſauit: quaſi diceret,iam poſt mortualem ſudorem in domo quietis æternæ non ſudare,verùm coronari,ob ſudores ſuos, Xauerium.

2. Dec. 1552.

Ferià 6. horà 2. poſt meridiem moritus.

Crucifixus ſudare deſiit.

6 Petrus Alcaceua, cùm ex Iaponia rediret,

ret, eum locum eſt contemplatus. Montem ait eſſe admodùm editum, arboribus frequentem.

7 Et quis iam queretur, ſe ab omni humanà ope deſertum hinc abire, qui ſic morientem in monte, in caſa miſerabili, abſq; omni Patrum, fratrumq; obſequio videt Franciſcum Xauerium? Moriamur, vbi nos mori volet bonus *Deus*! modò emoriamur in vitam. Deſertos ab hominibus, *Deus* non deſeret. Tunc opus eſt, vt ad illum corde quàm poſſumus puriſſimo, per doloris, amoris, pietatis, deſideriorum pro *Deo* moriendi, ac eius voluntati obediendi actus, per Virginis Matris preces, flagranter aſpiremus; aſpiciamuſq;, ac imitemur exemplar quod nobis in Chriſti Crucifixi, & morientis Xauerij monte monſtratum eſt.

CAPVT XX.

Occupatio pretioſa infirmi; in doloribus aſpirationes, orationes iaculatoriæ.

1 HAec ſunt vltima ſolatia bonæ animæ migraturæ; hæc ſunt vaſa, quæ colligenda ſunt profectionem adornaturis; his noſtram mortem pretioſam reddimus, noſtram voluntatem diuinæ coniungimus; his dolores, & mortem ipſam ad honorem & amorem *Dei* creberrimè offerimus, mala noſtra

ſtra deteſtamur, pro bonis gratias agimus, & merita cumulamus, dum finem noſtræ vitæ ad *Deum* finem vltimum dirigimus. *Finis enim*, inquit Auguſtinus, *quò referuntur ea, quæ facimus, id eſt, propter quem facimus quidquid facimus, ſi non ſolùm inculpabilis, ſed etiam laudabilis fuerit, tunc demum etiam facta noſtra laude aliquà digna ſunt.* Ita *P. Simon Rodericius* è primis Ignatij decemuiris vir à ſuis animi perturbationibus, tentationibus, doloribuſq; corporis multifariam exercitus, talentis, dexteritate, zelo inſignis, æger non parcebat lachrymis, gemitibuſq:, quibus laceſſebat beatam æternitatem, diuiniq; conſpectus deſideria irritabat. Sæpè Ignatium, optatiſſimum vitæ Socium, ac Parentem, amicis vocibus compellabat, eiuſq;, & vnà cum eo communis videndi, fruendiq; Domini ſtudio æſtuabat: *Veni, Domine, veni* Deus *anima mea, ades dum, Bone* Ieſu; *ne cunctare diutiùs; ſed me quàm citiſsimè hinc ad te ipſum abripias.* Aiunt ipſo, quo Simon migrauit momento, virum grauem, & pium à ſomno excitatum, feneſtrà apertà, vigilantibus oculis conſpexiſſe maniſeſtiſſimam lucem Domui Profeſſorum Societatis rectà imminentem, ex qua illi in animum ſenſus liquidiſſimæ voluptatis influeret. Manè lumine cum cella Roderici comparato, id quod erat intellexit. *P. Roderici Aluarez* (cuius anima cælum cum Angelis ingredi eſt

De moribus Manich. c. 13. in tomo. 1.

Bona intentio mortem pretioſam reddit.

Hiſt, Soc. p. 4 l. 7 nu. 274.

15. Iul. 1579.

1587. 14. April. Nieremb. t. 3. p. 390.

Digitized by Google

di eſt conſpecta) inter dolores hæc erat oratio: *Malo hos dolores pati, quàm eſſe Angelus, quàm Archangelus, quàm Seraphim. His enim Chriſtum imitor; & dum patior facio id quod illi non poſſunt.*

2 P. *Leonardus Leſsius*, tolerantiæ, quàm doctrinæ, aut cuiuſcunq; dotis laude certè non minor, in ſublimi patientiæ palæſtra non vltimum nomen, eos, quos in diuerſorij lecto iam olim acceperat, corporis totius tumores, & fædam ſcabiem, exeſarum tibiarum, inteſtinorum, ac ſtomachi torminum, herniæ geminæ, tibiæ curru euerſo confractæ, duorum calculorum ouo gallinaceo parium, diuturnos, acutiſſimos, acerbiſſimoſq; dolores, ita generosè tulit, vt gratias ageret. Aliquando ægrè inter tot adeòq; acerba tormenta reſpirans, conuerſus ad *Deum*: *Omnia*, inquit, *excelſa tua, & fluctus tui ſuper me tranſierunt, Domine*. Pleni dolorum dies, plenæ noctes: ſitus omnis, abſq; requiete vllà corpus miſerum cruciabat, idq; totis vltimis vitæ quatuor annis. Quis ego ſum, inquiebat amanter inter atroces dolores, quem *Deus* ad patiendum ſibi elegerit? Miror non rarò, ad tantum certamen à *Deo* me tam imbellem athletam deſignatum eſſe. Sed *Benedictus Dominus in æternum.* Ad alium: *Accipio totum*, inquit, *de manu* Dei, *qui memor erit in die viſitationis huius afflictiunculæ*. Sæpè illi in ore:

Theatrum patientiæ ſanctæ.

Quare

Quare triſtis es, anima mea, & quare conturbas me? Dicebat, dulciſſimi Nominis *Ieſu* vi melleà ſibi dolorum amaritudinem, & acerbitatem temperari. Aiebat ergò ſæpè: Ieſu *dulcis memoria, dans vera cordis gaudia*! *Bone* Ieſu, *adiuua me*! *Ampliùs laua me, ampliùs, ampliùs, ampliùs laua me*, Ieſu! Et ſæpè cum dolore creſcebat illi ſenſus pulcherrimæ, ac non niſi à *Deo* dari ſolitæ voluptatis. Dicebat de ſuo corpore; iam inde à quadraginta annis incommodum animæ ſuæ lectum obueniſſe, in quo nunquam molliter quiêuiſſet. Gratias pro doloribus continuas, tenerrimas, effuſiſſimas, tanquam pro paternis amoris benigniſſimi argumentis, & beneficijs, quibus verè nec accipiendis dignus, nec pro acceptis gratus eſſe poſſet, agebat. Hinc illa illi è corde nata, & ore hilari dulciter pronunciata, è Pſalmis: *Benedic, anima mea, Dominum, & omnia, quæ intra me ſunt, nomini Sancto eius. Benedicam Dominum in omni tempore: ſemper laus eius in ore meo. Miſericordias Domini in æternum cantabo. Benedictus Dominus* Deus *meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum*! Dicenti: quid ſi *Deus* illum ad hos colicæ, herniæ, impetiginis, ſtomachi, calculi dolores, atq; triſtes cruciatus ad mille annos lecto damnaret? reſpondit: Agerem gratias: & pro patientia poſtularem. Res hæc finem caperet. Quàm lætus nuncius damnatis foret,

Gratiæ quàm maximæ agi poſſunt agendę pro doloribus.

Pſ. 102. 33. 88. 143.

foret, ſi poſt centum annorum millia liberarentur! Dixit;& ſuauiſſimè lachrymatus eſt. Neq; vnquam ſe vel vitam petere, vel dolores recuſare velle adiecit. Lætam patientiam eſſe vnicum quod ſuis, quod cælitum, quod amicorum precibus à *Deo* vnicè flagitaret. Perpetuæ illi ex ore hæ voces: Ieſu! Ieſu *mi dulciſsime*! *Sancta Maria ora pro me*! Sanctiſſimo Angelorum epulo quotidie reficiebatur:&illius deſiderio diem deſiderabat oriri citiùs, aiebatq;: *Mi* Ieſu; *quando venies*! *me lætum quando facies*? Demum dum acquieſcere putaretur, requieuit in pace. 15. Ian. 1623.

3 In Prouincia Campaniæ, die qui eſt veluti paſcha fidelium defunctorum, ijſdem adiunctus eſt *P. Iacobus Franciſcus*. Tertium ac ſexageſimum ætatis annum agebat, cùm rhythmicam in Ezechielis canticum paraphraſin concinnaret. Morbus illum in hæc Ezechielis verba ſcripturientem reperit: *Præciſa eſt velut à texente vita mea*: & lecto affixum, ſed intrepidum, morti dedit. Aiebat ſe pridem à *Deo*, flagrantiſſimo flagitatu, petijſſe verum deſiderium moriendi. Inde illi mors in deſiderio, & in lucro fuit. Suprema morientis ſuſpiria hæc fuère, vt dum iam vicinam mortem aduerteret, *centies* ingeminàrit ſenſu alto, & voce cordis oriſq; in hæc verba effuſà: *Suſcipe me, Domine, ſecundùm eloquium tuum, & viuam!* 1639. 2. Nou.

Petendum à *Deo* verum deſiderium moriendi.

Oratio iaculatoria centies repetita.

1621. 16 Ian. aetat. 85 4 Eberſpergæ P. *Georgio Hoſſer* crebra in ore fuit illa è Litanijs aſpiratio, quà etiam preces canonicas finiebat: *A ſubitanea, & improuiſà morte libera nos, Domine!* Etuerò nec ſubitanea, nec improuiſa illi mors venit. Nam in morbo lectioni pijſſimæ, vel etiam ſacris canticis audiendis dulciſſimè illachrymatus, Pſalmis delectatus, morti perſanctè accinctus, illam eo tempore quo *Litaniæ* recitabantur, magno cum ſenſu pietatis oppetijt.

1548. 9. Aug. 5 *Rodericus de Meneſes* moriturus, magnà cum opinione ſingularis virtutis, accito ad ſe Patri Simoni Rodericio, vni à primis decem, exaggerato quodam æſtu ſpiritus dixit, Crucifixo arrepto: *Chriſtus viuit! Chriſtus regnat! Chriſtus imperat!* Placent & illa M. *Ioannis Baptiſtæ Mayr* Leobij morientis inter dolores pretioſa ſuſpiria: *Benedictus* Deus *qui me doloribus ad ſuam gloriam dignatur!* Deus! *Mitte Cruces, auge dolores qui ſunt ad gloriam tuam!*

29. Ian. 1655.

6 *M. Franciſcus Caietanus* non ſemel oſtendit ſe propinquæ ſuæ mortis conſcium eſſe. Iam æger: *Parùm*, aiebat, *ah parùm nimis patior amore tui, Domine mi! Et quæ demum lex id patitur, vt ſeruus infidelis decumbat in lectulo inter obſequia filiorum* Dei; *& tu* Deus *meus, & Paradiſi Rex, in Cruce pendeas inter latrones? Dolores*, Ieſu *mi, dolores mihi, amoremq; concede!* Fratri valedicens, Chriſtum illi pro fratre reliquit: *In nidulo*, aiebat, *meo moriar; &*

Amor, & dolor.

ſicut

Digitized by Google

ſicut palma multiplicabo dies. Feriâ 6. vltimo vitæ ſuæ die, veſperi infirmarium quieſcere iuſſit. Illo verò dicente; num ſe abſente mori vellet; reſpondit: *Deus* me iuuabit, cui commendaui animam meam. Adſunt hìc præſentes, Regina Cæli cum Angelis, & Sanctis aduocatis meis. Iaculatorias preces etiam Litanijs miſcebat. Quare ad S. Franciſci nomen ſubſiſtere iuſſo Patre qui eas recitabat, illi gratias pro beneficijs egit; & eius opem pro ſuprema neceſſitate implorauit. Inde ad S.P. Ignatium conuerſus, teneras & illi gratias reddidit, quòd in Societate ab ipſo ſanctè conditâ vixiſſet, & moreretur. Veniam ab illo petijt, quòd Regulas adeò ſanctè ab ipſo tot inter preces lachrymaſq; conſcriptas non ſatis religiosè ſanctèq; ſeruaſſet. Vltima viuentis occupatio fuit cum accepto in manus Crucifixo primùm, deinde cum auguſtiſſimâ Virgine Matre inſtitutum ſanctum colloquium: quo finito, additis ſanctis *Ieſu* & *Mariæ* nominibus, præparatam doloribus, & pretioſæ morti per occupationes pretioſas adornatam animam deuotâ & ſuaui morte Patri ac Matri miſericordiarũ reddidit anno Societatis initæ octauo, die ſancto veneris in diem Sabbathi abeunte; ægro cuidam fratri ſub idem tempus per quietem viſus candidatus vultu hilari ad gloriam proficiſci; vt alia, quæ in vita illius latiùs, taceamus.

Vide hic c.10. n.22.

20. April. 1601. æt.32.

7 *P. Petri Caniſij* perpetua erat oratio: *Laus* Deo: *gratias ago* Deo. Fœdè intumuerat. Laus, inquit, *Deo*, quòd tam pinguis ſim. Subcreſcente morbo, dixit: Semper ſit laus *Deo*, augeſcit morbus. Lapſus è ſella humi diu iacuerat, cùm poſt moram longiorem adfuit frater, & Patrem ſubleuauit. Ille verò: gratias ago *Deo*, ait, quòd me tam diu ſolum reliquit: Sed nihilominus inter nos, quæ hactenus fuit charitas permanebit. Deniq; benedicebat *Deum* in omni tempore, ſemper laus eius in ore illius. Cùm frequenti interrogatione obtunderetur à fratre, ecquid cibi vellet; tandem, auiculam, reſpondit. Frater cùm nullà planè diligentià vel in foro, vel alibi, venalem reperiret, cadente iam ſole, triſtis ſedebat, quòd importunà charitate ſenem optimum vexaſſet, neq; illi facere poſſet ſatis. Hæc in cubiculo cogitante illo, quaſi miſſa à *Deo* (& quid ni?) auicula per feneſtram in cubiculum inuolans non magno labore capi ſe ſinit. Hanc lætus vbi cepit, & coxit, ſeniq; ægro appoſuit, ſolenne ſuum, & interclare carmen poſt auiculam comeſtam repetijt Petrus, & dixit: *Laus* Deo! *quàm opiparam cœnam hodie habui*! Sed & aliàs quot buccellæ, quot ſorbitiunculæ, tot illi iaculatoriæ aſpirationes ad *SSS. Trinitatem*, ad *Ieſum*, vel Cælitum quempiam directæ. Hoc eſt aſſueuiſſe, atq; ex vſu confirmato facilè

agere,

Digitized by Google

agere, id quod alij fieri poſſe negarent.

8 Iaculatorij inſtar Pſalmi ægro ſeruire poteſt glorioſus ille Pſalmus, quem *P. Carolus Spinola* columnæ iam ad incendium in Iaponia alligatus, elatà voce canens dixit: *Laudate Dominum, omnes gentes!* Reliquum ſacri carminis reliqui, columnis item ad moriendum alligati, Socij cecinère, alacritate tantà, vt iam quaſi cælo ſe vicinos aſpicerent, & vberes lachrymas excuterent ex oculis audientium ſpectatorum.

9 *P. Ioannes Deckerius*, eruditionis reconditæ, ſanctarum lachrymarum, & puritatis vir, morte præuisà, & dolorum plenà in his verbis viuere deſijt: *Veni, Domine* Ieſu, *veni! venio.* Graecij 10. Ian. 1619.

10 *P. Ludouicus Rogerius* Poſnaniæ ipsà natali *Ieſu* nocte moriens aiebat: O mors, quando venies! quàm citò veniam, & apparebo? 25. Dec. 1603.

11 Pulchra etiam nos omnes in morte vltimùm alloquentis, & ſimul in cælum ſuſpirantis *P. Andreæ Polini* viri dierum plenorum & exquiſitæ virtutis pleni, fuit vox illa: *Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum.* 1. Febr. 1620.

12 *Aloyſius Freredoux* diuiniſſimi Sacramenti, Matris Virgineæ, Angeli Tutelaris, & Beatiſſimi Aloyſij cultor in virginitate, humilitate, pietate eximius, claram reſponſa ſuggerentis Angeli opem in examine Philoſophico Angelus Cuſtos.

phico expertus, ad vltimum vitæ examen dictis virtutibus, & continuis calentibuſq; orandi formulis ſe parabat, cùm vitæ finem faceret:
23. Febr. 1620. *Mallem*, inquit, *omnibus priuari bonis, & ego ſolus quiduis mali & pœnæ ſubire, quàm vel leuiſſimam* Dei *offenſam admittere, vel minimam promouendæ eius diuinæ gloriæ prætermittere occaſionem*.
Horrere peccatum, etiam veniale. De Euchariſtià, cum S. Chryſoſtomo: *Vnus ſit nobis dolor hàc eſcà priuari*. Deniq;: Deus *optime, maxime, quicquid tibi diſplicet, mihi, mihi diſplicet; & quicquid tibi placet, mihi placet, quia tibi placet.* Ieſu! *eſto mihi* Ieſus. Et vt Indulgentià plenarià donaretur, in *Ieſu Maria* vitam abſoluit.

4. Oct. 1622. 13 *P. Andreas Ribæus* Pontiſaræ ſuauiſſimum viuendi finem fecit, vir ſe afflictationibus voluntarijs atterendi, ad infima demittendi, in charitatis opera effundendi, & deniq; ſemper orandi arte amabilis. Et tamen ſub mortem alto quodam intimæ pietatis ſenſu ſe accuſabat, perindè vt ſi remiſsè admodùm, negligenterq; vixiſſet; ſi deinceps liceret, maiora facturus. Cùm verò annuà primùm, deinde plenà totius vitæ Confeſſione expiatus, Dominum in viatico acciperet, ſic illum identidem alloquebatur: *Parce mihi, Domine, nihil enim ſunt dies mei!*

1621. 14 *P. Humberti Selini* morientis vltima verba fuère: *Sacrificanda* Deo *anima*! Sic felix vitæ holocauſtum abſoluit. Si quis ergò

ſeu

Digitized by Google

ſeu ſanorum,ſeu ægrorum ex me quærat,quid illis quas hìc ſuadeo iaculatorijs oratiuncularum veluti ſagittis agendum ſit; Humberti verbis reſpondeo: *Sacrificanda* Deo *anima*.Et dicendum:*Tuo amori,honori tuo,amabilis* Deus, *animam hanc meam, vitam hanc meam,tui amoris igne ſacrifico. Sit illa tibi oblatio munda, ſit Sacrificium incruentum cruento illi Filij tui morientis Sacrificio coniunctum; ſit holocauſtum in in odorem ſuauitatis æternæ, cum* Ieſu, *& per* Ieſum *tibi, & propter te*, Deus!

Iaculatoriis precibus quid agendum.

Cum *Ieſu* & per *Ieſum* ſacrificia Deo vitam & mortem tuam.

15 P. *Martinus Olauius* Romæ moriens inter ſupremos anhelitus illud identidem ſingultiebat: *Non intres in iudicium cum ſeruo tuo, Domine; quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens!*

1556. 17. Aug.

16 Inter aſpirationes primum locum occupare debent actus fidei, ſpei, charitatis, & ex hac natæ contritionis: *Credo,Spero,amo te, gratulor tibi; & ideò doleo ſuper omnia quòd offenderim te, ò Bonitas, Pulchritudo, Maieſtas, Liberalitas infinita! Gratulor Tibi de tua Deitate! Credo vitam æternam; & ſpero! credo mortem æternam, & timeo! Sed ſi nec cælum eſſet, nec infernus,adhuc vellem,nunquam offendere te, nec vnquam offendiſſe; vellem ſemper amaſſe te*, Deus *meus: quia dignus es*, ò Deus, *optima Bonitas,pulcherrima Pulchritudo, Diuinitas infinita. cui gratulor, & gratias ago. Amor tuus,& dolor tuo illo infinitè infinito amore perfe-*

Iaculatoriarum fõtes fides, ſpes,charitas, dolor.

Vid. lib.3. de imit Dei c. 15. à pag.658.

perfectus, ac deſiderium Sacramentorum omnium ad ſalutem neceſſariorum, & vtilium ſit mihi pro Baptiſmo Flaminis, quo lauer; & corde mundo amem te, ac videam te, dedicatus tibi: & gratuler tibi de te! Gratias tibi pro omnibus Sacramentis! Amor tuus ſit mihi baptiſmus nouus, qui me abluat ab omnibus quæ in me non amas. Gaudeo de te, amo te ſuper omnia, ò bone, ò pulcher ſuper omnia; & ideò doleo ſuper omnia, quòd te non ſemper amauerim ſuper omnia, quòd te offenderim, ò optime Deus *meus, & omnia! Doleo de ijs omnibus quæ tibi diſplicent in me, vel in alijs. Nolo, nolo, nunquam volo te offendere, nec ab vllo offendi te! Vtinam ſemper, & vbiq; te amaſſem, & amem! Vellem cor meum eſſe cor omnium cordium amantium te, conflatum ex omnibus in fornace cordis tui in vnum cor, & omnibus omninò electorum omnium cordibus, adeòq; ipſo* Ieſu & Mariæ *corde, amare te, perdere potiùs omnia quàm te, & gratulari tibi, quòd ames te! & gratias agere tibi, quòd digneris amare me, & amari à me.* Hoc *vnicum ſit meum bonum honeſtum, vtile, delectabile, amare te, ò vnicum verè honeſtum, verè vtile, verè delectabile bonum,* Deus *meus! Accepto mortem à tua Sanctiſsima voluntate in ſatisfactionem pro omnibus peccatis meis, & negligentijs; eamq; illigo, coniungo pretioſiſsimæ morti* Ieſu, Mariæ, *& omnium electorum. pro quibus, & cum quibus gratias tibi ago. Gaudeo quòd poſt mortem nunquam potero offendere*

te! &

Digitized by Google

te! & ſpero quòd æternùm amaturus ſim te! O Bonum omnis Boni, ò pulchrum omnis pulchri, ò amabile ſuper omnia quæ amari poſſunt. Dono tibi cor meum, & migraturam hinc animam meam. Da vt ne ingratus moriar pro beneficijs tuis tantis: da vt te amem. Tu enim id ſolus dare potes. Da mihi per omnia merita Ieſu, Mariæ, *& omnium* Electorum *tuorum, Domine* Deus *meus, vt diligā te ex, & in toto corde meo, & ex tota anima mea, & ex tota mente mea, & ex totà virtute mea, & ex omnibus viribus meis, & ex tota fortitudine mea, (ita vt tu iubes, ita vt in cælo faciunt Beati) vſq; ad mortem, vſq; in æternum. Per amorem, quo Electos tuos, quo* Mariam, *quo* Ieſum, *imò quo te ipſum amas, obſecro te,* Deus *meus, da mihi amorem tui finalem: da mihi vt nullo Sacramento ad vitam æternam neceſſario, vel vtili caream; omnia illa deſidero, eorumq; theſauros à te in illis abſconditos. Da mihi id, quod mihi maximè neceſſarium eſt, vt in æternum amem te! oſtende mihi omne bonum, id eſt, teipſum qui es vnum verum bonum, omne bonum, omne pulchrum, omne amabile: ſinè quo omne bonum malum eſt; omne pulchrum turpe eſt; omne delectans, æternis tormentis obnoxium eſt.*

Deut. 6. 5. Matth. 22. 36. Marci 12. 30. Lucæ 10. 27.

R.P.N. Mutius Vitelleſcus æger veſperi ſibi prælegi curabat hunc actum amoris *Dei*; quem ipſe conceperat: *Agnoſco,* Deus *meus, lumine fidei, quòd ſis Dominus meus, & ſuper-*

Impreſs. eſt Romæ Italicè anno 1646. illius nomine.

 natu-

naturalis vltimus finis meus! Dedico tibi, & conſecro cor meum; amando te ſuper omnia! & hoc amore motus abhorreo, ac deteſtor quàm maximè omnia peccata mea, ſolummodo ideò, quòd ſint contra Bonitatem tuam. Summè doleo, quòd illa commiſerim, idq; non alia de cauſa doleo, quàm quòd diſplicuerim tibi, & quòd offenderim te! Offero tibi firmum propoſitum te nunquam ampliùs offendendi. Parce, Domine, pænitenti, contrito, & humiliato: qui tametſi tuà gratià ſit indignus, recurrit ad miſericordiam tuam, ſperatq; ab illa remiſsionem peccatorum ſuorum; vt poſsit corde in hac vita purgato, & mundato videre te, & gaudere de te in altera, & in æternum. Amen.

1654. 17. Ian. *P. Arnaldus de S. Maria* Niuernenſis quotidie poſt recitatas Sanctorum omnium Litanias, ſequentis diei Sanctos è Martyrologio legi audiebat: eoſq; inuitabat ad opem vltimam ſibi laboranti ferendam; illud quoq; dicens: *Ecce quàm bonum in Societate mori.* Magnâ animi ad ſuperna anheli ſignificatione erumpebat in illa ſuſpiria: *Miſericordias Domini in æternum cantabo. Singularis hæc mihi oblectatio erit in cælo.* Familiaris eſt aliquibus de Societate apud ægros illa oratio, de qua ex Bloſio P. Drexelius: Dominus, inquit, quibuſdam amicis ſuis reuelare dignatus eſt, quòd verba illa, quæ mox ſubijciemus, morientium auribus ingeſta, & coram eis recitata, vel ab eis piè

Prodr. c. 3.

prola-

prolata, ſiue cogitata, tantæ virtutis ſint, vt non facilè perire poſſit, qui ea ſub finem vitæ, vero & integro corde humiliter pronunciàrit. Sunt autem iſta: *Domine* Deus, *ego ſum miſer ille, quem tu pro paternà bonitate tuà creaſti, & per ignominioſiſsimam mortem Vnigeniti tui de poteſtate inimici redemiſti. Tu ſolus imperium, & dominium in me habes, meq; ſaluare potes ſecundùm immenſam miſericordiam tuam; in qua ſpero, & confido. P. Chriſtophorus Pflaumer* Monachij moriens; Duo, aiebat, minuta, corpus, & anima, mihi ſunt ſuper. Vtrumq; vobis do, *Chriſte, & Maria*: vos ex aſſe hæredes ſcribo. *P. Bernardus Colnagus* actum amoris, & contritionis quem docebat alios, in hæc verba conſcripſit: 1. *Ego, Domine* Deus *meus, amo te, voloq; tibi benè ſuper omnia: quia diuina tua Maieſtas ita meretur. 2. Atq; ideò doleo ſuper omnia quòd te offenderim: quia diuina tua Maieſtas id non merebatur. 3. Propono te nunquam offendere, ob eandem rationem. 4. Propono obſequi legi tuæ, confiteri, pœnitentiam imponendam mihi à Sacerdote perficere, cum ſpe Sanctiſsimæ tuæ Paſsionis, quòd mihi ſis condonaturus.* Deniq; *R.P.N. Franciſcus Piccolomineus* pretioſa eſſe dicebat vltima illa momenta: nec perdendum eſſe vel vnicum. Dicentibus; ne ſe illà aſpirationum contentione fatigaret, reſpondebat: & quid eſt tres quatuorùe horas plus vixiſſe, cùm hiſce aſpira- 1656.

Digitized by Google

tionibus colligantur æternitatis lucra? Momentum vnde pendet æternitas!

CAPVT XXI.

Occupatio eſt pretioſa, vt ſi æger orare ipſe ore non poſsit, orantes alios audiat.

Annuæ Lugdun. Coll. Turon. 1590. & 91.

1 IAcobo Nouitio in paterna Domo ægro, vltima inter menſtruas è tirocinio miſſas ſchedas hanc ſententiam continebat: *Siue viuimus, ſiue morimur, Domini ſumus*. Iacebat interea ille, *ſe Domini eſſe* lætus; cùm ecce ſuprema nox. in qua viſam in cubiculo morientis lætificam inuſitati ſplendoris lucem narrauère duæ mulieres ægrum procurantes. Pro vltimo peregrinabundæ in æternitatem animæ propemptico, orat legi ſibi clarà voce, vt audiat, horarias preces: quod dum religiosè exequitur eius Parens (ad quem æger miſſus fuerat, ad natiui aëris benignitatem) recitatq; illa verba: *Beati omnes, qui confidunt in eo*: eadem conſtanti animo ac linguà repetentem Iacobum mortalis vita deſtituit: è qua nobis morientibus acclamat: *Beati omnes, qui confidunt in eo*.

Preces horariæ coram ægro legi poſſunt.

15. Martii 1632.

Poſsent ægro legi orationes Dominicarum ex Diurno: & 6. Decemb. de S. Nicolao, aliorumque feſtorum.

2 *P. Didacus Ruiz* Hiſpali abijt vità. Quò magis enormis calculi vis hominem torquebat, eò ille gratiarum actiones exaggerabat magis: inſomnes noctes Pſalmis pronunciandis

dis impendens. Curabat ſibi ſubinde voce altà repeti quaſdam orationes Eccleſiæ, illi tempori aptas, quibus excitari ſe ad pietatem non mediocriter ſentiēbat. Item animæ commendationem. Ad venæ deficientis nuncium cum gaudio exclamauit: *O æternitatis dies, ecquando te conſpicabor!*

3 Hæc omnia etiam tunc agenda, cùm æger ſibi meliùs eſſe exiſtimat. Sic enim vltima emorientis in cereo conſumpto luminis lux luculentior eſſe conſueuit; ſoletq; ſæpè mortem iam proximam leuamenti quiddam præcedere. Arripiat tunc benedictum die Purificationis Beatiſſimæ Virginis cereum, eoq; in manu ardente ſibi adhuc præſens petat coram ſe legi deſtinatas illi tempori formulas eliciendorum actuum fidei, ſpei, charitatis: commendationem animæ audiat: id agat quod in ſupremo articulo.

4 *P. Thomas Tzugi* Iapon, lento igne Nangaſachi in Chriſtiani nominis odium internectus cùm expiraret, viſum illi eſt pectus aperiri, & magna quædam flamma ex imo pectore erumpens conſpecta eſt volare in cælum. Aperiamus totum pectus, cor totum in morte: & flammas tam intus conceptas, quàm ab ijs, qui circa nos ſunt acceptas alto pectore hauriamus, & euibremus in cælum quantà poſſumus cordis vicinum nobis *Deum* amantis flagrantià. Sunt qui com-

Flamma erumpens è pectore morientis.

Iaculatoriæ.

completorium, vel pſalmos aliquos, aut verſus ad id ſelectos, vel alia id genus legi optent. quam in rem ſuppeditabo quædam capite vltimo.

CAPVT XXII.

Pater ſpiritualis, & fideles ad mortem vſq; amici, ſunt pretioſa ægri occupatio, & adiumentum. id quod etiam in Ioannis Berchmanni morte elucet.

1 IN Suprema illa neceſſitate maximè probatur charitatis vera germanitas. Cùm enim tunc nobis, & memoria deficiat eorum quæ legimus, aliíſq; aliquando ſuggeſſimus, aut ſcripſimus; & intellectus acies in affecto corpore obtundatur, adeòq; ipſa etiam voluntas reddatur ſegnior; ſuccedant verò ingrata quædam tædia, dolores, feſſus, & ad nihil ſeriò attentus animus; contra valentiſſimos tunc & ferociſſimos dæmonis, hoſtis eà in acie diuturni, expertiſſimi, & ſæpè victoris, inſultus; contra illas mentis noſtræ tenebras, & faſtidia, neceſſe eſt, vt ſpiritualis Pater, vel alius amicus ad id valdè idoneus, abundè ſuppleat, & ea ſuggerat, quæ temporis illius adeò periculoſi, vel pretioſi articulo primùm neceſſaria, deinde vtilia & idonea ſunt; vt quemadmodum iuratus ęternę ſalu-

ſalutis noſtræ aduerſarius nihil eorum omittit, quæ nos perdere, aut nobis periculum creare poſſunt; ita Pater ſpiritualis, & amici fideles, nihil eorum omitti patiantur, quæ auxilio eſſe poſſunt in illo tempore, in quo error quiuis periculoſus eſt. Verè de illis dici poteſt quod de SS. Ioanne & Paulo MM. dicit Eccleſia: *Linguæ eorum claues cæli factæ ſunt.* In 2. veſp. antiph. ad *Magnif.*

2 Et neceſſitatis noſtræ, quantumcunq; innocentes ac ſancti habeamur, aut ſimus, & fidelium amicorum in illo neceſſitatis puncto aſſiſtentium, & ſancti per omnia ad mortem apparatus imago eſt *Ioanni Berchmanni* mors, 13. Aug. 1621. quam & ex vita, & ex eorum qui adfuère narratione deſcribo. Num ſatis ad obeundam mortem ſibi paratus & compoſitus videretur, interrogatus; dixit, ſe quidem, morti libenter Exercitiorum dies aliquot præmiſſurum: at ſi id non liceret, libenter etiam abſq; his migraturum. Exercitia præparant ad mortē.

3 Ad accipiendum Sanctum menſtruum vltimùm euocato, illa Chriſti obtigit ſententia: *Videte, vigilate, & orate; neſcitis enim quando tempus ſit.* Marci 13. v. 33. Penetrauit ea vox, & læti ominis inſtar fuit Ioanni, felici diuinatione ſe iam euocandum à *Deo* pluribus, non ſine tenerà lætitiæ ſignificatione, narranti. Et verò ipſo *S. Mariæ Maioris ad Niues* die, Ioannes iam initia morbi ſenſit; & ſe lectulo dedit 7. Auguſti, medico imperante. Porrectum fortè 5. Auguſti.

tè

Gratiae agendae poſt pharmacum. tè pharmacum generosè ac obedienter exhauſit; & Patri Cornelio à Lapide dixit, vt conſuetam à refectione ſurgentium precandi formulam agendis *Deo* gratijs pronunciaret. Quà peractâ, piè cum eodem de diuinis collocutus, illo dicente: Ieſus *meus, amor meus & omnia*; hilareſcens Ioannes: *Ita, ita*, inquit, Ieſus *centrum*, Deus *cordis mei, & pars mea* Deus *in æternum*. Cum alio de B. Stanislai morte, de S. Laurentij igne, de B. V. locutus, dixit, admiranda eſſe illa, quæ *Deus* per Beatiſs. V. Societati contulit; & ſe collegiſſe multa de maternis verè B. V. in Societatem fauoribus, quę olim typis deſtinauerit, ſi abſolui poſſent.

Colloquia non niſi ſpiritualia tunc maximè habenda.

B. V. amat Societatem.

Aegri vanà vitae ſpe non lactandi.

4 Dicenti valetudinario; videri ſibi, è re fore, ſi manè Sacrà Euchariſtià reficeretur. An Euchariſtiam pro viatico ſumendam ſuaderet, interrogauit Ioannes: & illo affirmante, cùm ſe tenuem de vità producendà ſpem ſupereſſe videre diceret; Ioannes exerto cordis gaudio, explicatiſſimà tenerimaq; hilaritatis ex intimo ſe ſuperfundentis vbertate, valetudinarij mortem nunciantis collo ſe ſe exultabundus circundedit: & arctiſſimo ſuauiſſimoq; amplexu quantà quantà poterat lætitiæ dulcioris ſignificatione teſtatus eſt, quàm charũ, quàm expectatum, quàm plenum deliciarum nuncium accepiſſet. Quæ ſancta, & ſimplex, ac ſincera Ioannis exultatio, & geſtus præter ſolitum tener, valetudinario altas & vberes lachry-

chrymas exciuit, adeò vt ſingultientem, & ſuperfuſis lachrymis repentè impeditam vocem in verba formare non poſſet. Quem ſuauiter ſolatus Ioannes; Eia hilariter, ait, frater mi; præparemus nos: hoc enim nuncio nihil mihi melius, lætius nihil potuit accidere.

5 Tum prehenſo manu auidà Crucifixo, dicebat: *Domine mi! Tu ſcis, quòd tu ſis mihi, quicquid poſſedi, quidquid poſsideo in hac vita. Quare, Domine mi* Ieſu, *ne me deſeras*. Et plura dixit, quibus cor *Ieſu* tenerum pulcherrimè laceſſebat, & ſuum in erumpentes ignes propè vltimos explicabat. Diuinis allocutiobus cum *Deo* recreari ſe dicens, Fratri vt pauca ſcriberet rogato ſchedam Italicè in hæc verba dictauit:

In *Ieſu* omnes diuitię, delicię, lætitiæ.

6 Peto veniam à meo dulciſſimo Patre Generali: & doleo me adeò indignum Societatis filium extitiſſe. Gratias etiam ago meæ dulciſſimæ Matri, Societati *Ieſu*, pro grandibus beneficijs indigniſſimo mihi factis. Gratias P. Rectori, & meis Magiſtris, Patri Franciſco Piccolomini, P. Tarquinio Galucci, P. Horatio Graſſi, pro omnibus impenſis mihi laboribus. Gratias P. Miniſtro, & fratribus meis in morbo curatoribus; pro grandi erga me amoris affectu. Gratias illis omnibus, qui me in modico hoc meo morbo inuiſerunt. Cuperem culcitram humi ſterni pro tempore Communionis meæ; & vt fratres noui collegæ tum

Gratus animus erga omnes exhibendus.

Humilitas.

adeſſe dignentur. Cùm nec è longinquo, nec è propinquo poſſim amplecti charos meos Patres, & fratres, precor P. Rectorem, vt id fieri velit, iuxta modum Societatis. Vellem mori in veſte Societatis. Hæc ille dictata Patri Rectori porrigi poſtulauit.

7 Diu cum Rectore de migrantis animæ ſuæ ſtatu, & ijs, quæ illi articulo conducere poſſe viderentur collocutus, iterùmq; peccata confeſſus, interrogauit Rectorem, num è præſenti re eſſe cenſeret nouâ confeſſione totam in Societate actam vitam in Sacramento relegere; & neganti, acquieuit. Inde porrectum ſchedium, Rector vbi legit, annuit omnibus lubens.

Sæpè confitendum.

8 Adfuit poſtea cum viatico Rector, & recentiores collegiales, ac alij comites Sacramenti. Ioannes verò ſublatus in genua, inter brachia Sociorum, vbi confeſſionis formula pronunciata eſt, ſtante iam, & iam viaticum porrecturo Patre, latinè ex improuisò: *Proteſtor*, inquit, *hic eſſe verum Filium* Dei *Patris Omnipotentis, & Beatiſsimæ ſemper Virginis. Proteſtor me velle viuere, & mori verum filium Sanctæ Matris Eccleſiæ Catholicæ Apoſtolicæ Romanæ. Proteſtor velle me viuere, & mori verum filium Beatæ* Mariæ *Virginis. Proteſtor me velle viuere & mori verum filium Societatis.* Tum Euchariſtiam illi Angelicâ quadam compoſitione *Deum* ſuum expectanti porrigens

Viaticum.

Pater,

Pater, dixit: *Accipe, frater, viaticum Corporis D. N.* Ieſu *Chriſti, qui te cuſtodiat ab hoſte maligno, & perducat in vitam æternam. Amen.* Ibi dolorem aliorum non narro, in Ioannem ſolum intentus; vt ex eo legam præcepta feliciter moriendi.

9 Extremæ Vnctionis Sacramentum miniſtranti Sacerdoti, cùm alij præ lachrymis non integrè reſponderent ad preces, Ioannes iunctis manibus, fixis cælo oculis, ex integro reſpondit.

Extrema vnctio maturè petenda.

10 Inde poteſtate acceptà, communi Societatis ſeſe accuſandi modo, *ſuam*, vt recepta phraſis ait, *culpam dixit*. Ita domeſtici quotannis non ſemel, ita ferè in locum alium profecturi ſolent. Num verò quid pro ſolatio ſuo vellet, interrogatus; in aurem Rectori dixit, in illius ſe poteſtate relinquere vt id diceret, vel taceret: cæterùm ſibi morienti hoc ſummo eſſe, ſolidiſſimoq; ſolatio, quòd toto eo, quo in Societate vixiſſet tempore, nunquam ſe vllo, etiam veniali, peccato, voluntate, vt aiunt, deliberatà conſcientiam contemeraſſe meminerit; neq; vllam regularũ, vel datorum à Superioribus decretorũ, quod quidem ſciret, fuiſſe tranſgreſſum. Viſum ita Rectori perſpectam Ioannis virtutem habenti, pertinere ad exemplum, foreq; citra vanæ gloriæ periculum, ſi id præſentibus ediceret.

Petenda & venia ab omnibus.

11 Eos, qui aderant amplexu vltimo accipere illi conceſſum. Inter amplexus, innocenter, ac ſimpliciter plura multis ſuggeſſit documenta virtutis; et, quaſi legatus ad cælum, ſupplices illorum preces, velut libellos, ſe eò, quò deſtinarentur perlaturum, recipiebat.

12 P. Piccolomineo ſibi aſſiſtenti dixit: Pater Rector luctatur pro me, vt Iacob. Et aliàs: Pater Rector mouet mihi bellum; ſed non vincet. Timeo ne P. Rector ſe opponat voluntati Domini. Et verò faſſus eſt Rector, ſe tunc pro illo in vita retinendo apud diuinam pietatem ſeriò inſtitiſſe.

13 Medicus à viſitato Ioanne digreſſus, illachrymatus illi Ioannis mortem alacriter opperientis hilaritati: *Iſte*, inquit, *eſt alter Beatus Aloyſius. O beati vos, qui adeò iucundè parati ac diſpoſiti eſtis ad moriendum! hæc felicitas quædam eſt, quam vbiq; reperire non eſt.* A Mutio Vitelleſco Generali Societatis viſitatus veniam petijt, et Benedictionem.

Benedictio à Superiore petenda.

14 Cùm verò reſtaurandis viribus pretioſa quædam ſibi à medicis dari videret; Meus, inquit, hic morbus pretioſus eſt. ideòq; religioni ſibi duxit illis vti: vſq; dum dicenti conſuetam Societatis charitatem eſſe illam, placidus acquieuit. Cùm ſomnum capere non poſſet, mente quieſcebat in *Deo*: teneris è corde ſuſpirijs, iaculatorijs precibus animum

Somni ſupplementũ, iaculatoriae orat.

mum occupabat. Quid ſuſpiraret petenti: Nunc, ait, ſum in agendis *Deo* gratijs pro beneficio vocationis. Vocatio.

15 Rogatus, num ſibi aliquid legi vellet, reſpondit: *Caput de morte B. Aloysij*. Legente petitum illud caput Patre, cùm illud legeretur, quòd B.Aloyſius in longo illo ſuo morbo nullum tamen vnquam impatientiæ ſignum dederit; ad Crucifixum vultu, et oratione conuersà Ioannes; Domine, inquiebat, ſi in hoc deliqui, id quod quidem non ſcio, ignoſce mihi! Lectum deinde; Aloyſium audito mortis nuncio dixiſſe *Te* Deum *Laudamus*: imitari Beatum etiam in hoc voluit, et reliquos vt *Te* Deum *Laudamus* vnà ſecum dicerent, precatus eſt: id quod factum. Lectio ſpiritualis. Te Deum Laudamus dicendum.

16 Deficiente indice vitæ pulſu; et valetudinarij curatore, qui illum explorauerat dicente; Iam imus, et fini propinquiores ſimus; Crucifixum popoſcit, illiq; Roſarium, (quo nocturni monilis *inſtar* torquatus iacere conſueuerat cùm ſomnum caperet) circumdedit: tum Regularum librum petijt, et Crucifixo, roſarioq; adiunxit. atq; hoc veluti faſciculo pretioſè inſtructus, nobile illud acroama dixit: *Hæc tria mihi chariſsima: cum his libenter moriar*. Dixit; oſculatus eſt; et pectori, veluti theſaurum, impoſuit: Vt ibi theſaurus eſſet, vbi erat cor ſic mortem expectans. Quid agendum in extremo vitae articulo. Crucifixus, Roſarium, Regulae.

17. Inter

Sancti menſtrui.

17 Inter alias pretioſas occupationes, etiam Sanctorum, quos quot menſibus de more acceptos in libello ordine collocàrat chartæ candidæ agglutinatos, ſchedas petiuit: & eas quas illæ ſchedæ continebant ſententias prælegi ſibi ex interuallis petijt.

Pſalmi graduales.

18 Deinde Graduales Pſalmos audire voluit.

19 Illuceſcente penultimo vitę die P. Rector Ioannem reuiſens, illud diuini officij illi retulit: *Puer meus, noli timere quia ego tecum ſum, dicit Dominus. Si tranſieris per ignem, flamma non nocebit tibi, & odor ignis non erit in te. Liberabo te de manu peſsimorum, & eruam te de manu fortium.* Hæc omnia ſe de Ioanne ſperare dixit P. Rector. Sperare ſe eadem, reſpondit Ioannes; ſed per merita Beatiſſimæ Virginis. quæ ille verba mente altiùs expendens, etiam ore ſæpiùs repetebat.

Spes per merita Beatiſs. Virginis.

20 Quando verò ſe cum paucis videbat, aut ſolum, explicabat delicias cordis ad *Deum* per dulces igniculos in verba, veluti ardentia iacula, pulcherrimè igneſcentis: *Ne me*, aiebat, *deſeras*, Maria, *ne me fallas, quæ me nunquam fefelliſti! filius enim tuus ſum: tu ſcis quia iuraui.* Ita ij, qui adfuère.

21 Philander Medicus inde cum alijs digreſſus, negauit malum eſſe tantum, vt iuuenē ad illa extrema redigeret. ſed cogimur dicere, aiebat, illud Hippocratis: *Iſte moritur diuinitùs.*

22. Ab

Reliquiæ SS.

Contra tentationes.

22 Ab amico quodam ſuo, Nicolao Ratkai, Noſtrorum Cælitum reliquias pro morbi mortiſq; ſolatio ſibi ad vltimum vſq; agonem relinqui petijt: impetrauit. Monitus inde à Rectore vt contra fidei,& vanæ gloriæ tentationes vigil ſtaret, contra vtraſq; ſibi prouiſum eſſe reſpondit. Patrem demum rogauit, vt etiam in extremis ſe diligenter ſemper tegeret, ſi caſu fortè quopiam non ſatis tectum aliquà corporis parte videret. Veſperi ſub æris campani ad Angelicam ſalutationem dari conſuetum ſignum, eundem Patrē, vt ſibi eà nocte adeſſet, impensè rogauit, eò quòd præpararet animam ſuam ad tentationem. Quia, inquit, *hac nocte agetur de ſummà totius rei*. Vnde iam ante preces ab ægrorum curatore expetiuerat: eò quòd eſſet à dæmone tentandus. Et cuidam Patri dixerat: Pater, hàc nocte luctabor. Alteri autem: Erit mihi hàc nocte luctandum. Cuidam reſpondit: Credo meam profectionem cras fore. Valetudinario verò quidpiam offerenti obedijt; ſed adiecit: Iam non eſt ampliùs tempus comedendi, ſed orandi.

Preces aliorum expetendæ.

Ordo cōmendationis animae maturè dicatur.

23 Manſère illà nocte apud Ioannem peruigiles tres Patres: quorum vni dixit Ioannes; benè factum iri, ſi ordo commendationis animæ recitetur: fortè enim poſtea commodum ad iſta tempus non erit. Factum quod petebat. & in Litanijs voluit etiam Beatos

dome-

domeſticos inuocari : S.P.Ignati ! S.P.Franciſce Xaueri ! Beate Aloyſi ! B. Stanislae ! B. Borgia ! adiunxit his Patrem Ioſephum Anchietam , & fratrem Alphonſum Rodriquez ex pietate priuatà .

24 A precibus ad quietem ſe ſe,vt experimentum caperet,num dormire poſſet,compoſuit.Sed inſtabat hora: *Vigilate!* Vbi aduertit ſomnum non venire ; ſe ſe in aliud latus vertit,& altà atq; hilari voce hymnum : *Aue maris Stella* , gratioſo ac læto vocis ductu ac inflexione cantare cœpit . Ad verba illa : *Monſtra te eſſe Matrem* ſe ſe repentè erexit, corde toto in *Mariam* tener iſte cygnus cantu ſupremo exiliens. Curator cùm diceret;ne ſe fatigaret ; reſpondit: oportet eſſe lætum. Iterùmq; omnes rogauit, vt pro ſe *Deum* precarentur : timebat enim tentationem inimici .

Aue maris ſtella.

25 Hìc P. Philippus Alegambe incipiebat Ioanni excitandis animi affectibus apta tempori verba latinè ſuggerere: *Nunc*,aiebat, *oportet amare Chriſtum , & Beatam Virginem . quam amaſti in vita , & amabis in morte .* Ad quæ Ioannes : *Quam conatus ſum amare in vita , & ipſa amabit me in morte* . Tum Pater : *Et alter alterum amabitis in æternum* . Subiunxit Ioannes: *Ita ſpero.* Dein ab eodem interrogatus : *Ioannes, ſi mille corda haberes, nonne Mariam mille cordibus amares ?* reſpondit : *mille cordibus amarem* . Tales amici ſunt ægris opor-

portuni qui talibus verbis ægrum excitent.

26 His pietatis meditamentis, atq; ſuſpirijs ad quartam vſq; noctis intentus, cùm quieſcere velle videretur, & ſe ad partem alteram conuerteret, repentè ſe in lectuli medium conuertit; & ſublatis in cælum oculis, cœpit turbato vultu, & labijs trementibus clamare, ac dicere latinè: *Hoc non faciam. Vt ego offendam te, Domine? Maria, ego nunquam offendam Filium tuum. Abſit à me hoc! non faciam. Malo millies mori, decies millies, centies millies, millies millies*. idq; repetitis vicibus ingeminabat; *millies millies, millies millies*. Accurrère Patres, & Ioannem brachia perturbatè hinc atq; inde iactantem reperère: cùm ille, quaſi finità iam pugnà: Abi, inquit, ſathana; non timeo te. Proiecti noſtri circa lectum in genua, & in preces effuſi, luſtrali aquà illum, lectum, circa omnia, & cubiculum aſpersère. Ioannes verò Crucifixum cum Roſario & Regularum libello ac lipſanotheca manu tenens, aiebat: *Hæc ſunt arma mea*. Et ſingula ſingillatim contemplatus, laudauit ſingula. Mox Roſario in collum repoſito, in Regularum libello vbi *formulam votorum ſimplicium* reperit, grandi ſenſu: *Omnipotens*, inquit, *Sempiterne* Deus, *ego Ioannes Berchmans, &c.* & reliquam formulam, veluti vltimo Sacramento ſe *Deo* in holocauſtum deuouens (illis tantùm verbis præ-

In tentatione.

Orandum pro eo qui eſt in agone.

Vltimum ſui holocauſtum.

Digitized by Google

termiſſis, *vt vitam in ea perpetuò degam*, cùm iam ſe in metà vitæ videret) ita legit totam, prout bis quotannis coram auguſtiſſimo Sacramento illa in ſpiritus & votorum renouatione repeti ſolet. A renouatis vltimùm votis, Patrum nonnemo, quaſi cantantis inſtar Litanias dixit: cui Ioannes, vocem etiam in cantum flectens, reſpondit. Et Crucifixum in omnes partes verſans, prout in miſſionibus per plateas vrbis facere conſueuerat, vbi demum dici audijt: *Agnus* Dei: *Parce ei Domine*, *&c.* ſubſiſtere tantiſper iuſſit, & oculis in Crucifixum ſuauiſſimà intimæ demiſſionis ſignificatione conuerſis, magno & incitato ſenſu facilè tríties repetiuit: *Parce, Domine! Parce, Domine! Parce, Domine!* Vocatus cum alijs ad Ioannem Rector, voluit vt repeteret actus contritionis, fidei, ſpei, charitatis. Aiebat ergò Ioannes: *Doleo, Domine! Credo, Domine! Spero, Domine! Amo Domine! Paratum cor meum*, Deus! *Paratum cor meum.*

27 Iterùm illum Sacramento pœnitentiæ expiauit Rector: & cum ſolo priuatim, alijs tantiſper digreſſis, collocutus, abijt; Patre, ſpiritualibus rebus qui præeſt, ingreſſo. Quo tempore Ioannes loqui deſijt. Tum ingreſſi conclaue plures lectulo circumfuſi pro felici Ioannis agone orabant. Et Ioannes ſupinus, collectis non nihil ſurſum genibus, & mani-

manibus cum Crucifixo, Roſario, Regularum libro, illuc ita inclinatis vt in conſpectu eſſent, nil niſi oculorum palpebras mouebat: & ſignum dabat placere ſibi illas, quæ ab ijs, qui circùm orabant, ſuggerebantur, & recitabantur preces. Quo in ſilentio, & luſtrali ſæpè aquà conſpergi, & ſe ad Crucifixi oſculum ſuauiſſimum adiuuari, adductà ad os vnà cum Crucifixo manu, gaudebat. Aquà benedictà aſpergendus æger.

28 Videtur hic Iuuenis agoni tam longo relictus, ad exemplar omnium, quæ circa illum agonem ferè neceſſaria, vel vtilia ſunt exprimendum, quà ab illis qui adſunt, quà ab ipſo qui moritur. Petijt ſibi Litanias omniũ, eius quo moriebatur menſis, Sanctorum recitari: & repetebat cum ſenſu nomina ſingulorum, adhibità etiam linguæ vi. Ad recitatas B. V. Litanias etiam ſingula repetebat. Sed ad illa verba: *Sancta Virgo Virginum, Mater Caſtitatis, Regina Virginum*, ſenſu præcipuo, eleuato capite, reuerentiſſimà inclinatione Beatiſſimam Dominam reueritus, aſpexit oculo pietatis pleno. Inter hos actus affixis Crucifixo oculis, *Ieſus, Maria*, verba vltima, dixit; & ad vtrumq; abijt feriæ ſextæ horà duodecimà & dimidià ab heſterno ſolis occaſu, ætatis ſupra annum 22. menſe quinto: & impreſſam animi quaſi imaginem, etiam in amabili quàdam cadaueris venuſtate reliquit.

Litaniæ Sanctorum menſis præſentis.

Caſtitas B.V.

13. Aug. fer. 6. 1621. Romæ.

CAPVT XXIII.

Pretioſa occupatio morientis Humilitas.

14. April. 1615. ætat. 73.

1 P. *Sebaſtianum Barradium* è vita migraturum rogauit Rector, vt aliquid adſtanti Sociorum coronæ diceret memoriæ commendandum. Vt obediret vſq; ad mortem, dixit: *Humiliamini ſub potenti manu* Dei; *vt vos exaltet in tempore tribulationis, ſeu tentationis. Nihil aliud ſupereſt conſilij: ſimus omnes eximiè humiles; Chriſtum, Dominum*, Deumq; *noſtrum, imitati, qui totà vità vnam à ſe diſci voluit humilitatem: & moriens inclinato capite emiſit Spiritum*. Nihil addidit: & inclinato in ſiniſtrum brachium capite hæſit mutus: ac breuì humilem animam emiſit eo die, & horà, quà morientis *Ieſu* memoria celebrabatur.

Humilitas compendiaria ad felicem mortem via.

1559. ætat. 18. Vid. Sachin. Ciaccon. & alios.

2 *Robertus Nobilius* Cardinalis, Iulij III. Pont. Nepos, Societatis *Ieſu* filius toto deſiderio fuit, eamq; poſità purpurà fuiſſet amplexus, ſi licuiſſet. Hic moriens hæc ſuprema nobis verba reliquit: *Humilitas! Humilitas! Humilitas!* et humillimum Spiritum *Deo* humilium Patri dedit in manus. Hac ſe ad mortem iam imminentem præparauit *P. Andreas Heleſueni* 4. vota prof. Caſſouiæ moriens, et Superiori ſic ſcribens: *Humi proſtratus ad ſanctos pedes tuos, & omnium tuorum, veniam,*

Annuæ Auſtr. 2. Dec. 1655.

niam , vtinam ſanguineis lachrymis , peto .

3 *P. Gaſpar Sanctius*, cum antiquis priſcæ virtutis oraculis comparatus , humilitatis eminentiſſimæ vir fuit. Cùm iuſſus omnium humillimi è præſentibus pedes oſculari dæmon in energumeno, ſe ad pedes P. Gaſparis abieciſſet ad oſculum, hæc poſtea referentibus dicebat P. Gaſpar; ſe nullo veriore documento expertum, dæmonem verè eſſe patrem mendacij . Super humilem hunc, quomodo Spiritus *Dei* requieuerit etiam dum Spiritum redderet, inde liquet, quòd quaſi tantùm è cubiculo in cubiculum aliud migrare iuberetur, ita illi viſum fuerit hinc migrare in domum æternitatis ſuæ. non quòd periculum non apprehenderet, ſed quòd nimio magis fortaſſe olim de illo periculo ſollicito, humillimèq; precanti *Deus* promiſerit, eum in periculoſo mortis articulo nullam in animæ à corpòre ſeparatione difficultatem habiturum: neq; ob animas benigniùs habitas reum fore; quaſi Chriſti Sanguinem per benignitatem nimiam prodegiſſet . & deniq; Sponſionem illi fecit felicis hìc mortis, ibi vitæ immortalis . quam Gaſpar Madriti adijt. *16. Nou. 1628.*

4 *P. Fabius de Fabijs* Romæ obijt , vir per omnem vitam incomparabiliter ſtudioſus occaſionum in quibus ſeſe abijceret: Hunc ad S. Pauli vià Oſtienſi exeuntem taurus in- *12. Nou. 1615.*

cor-

cornua ſublimem furentiùs agitàrat, alliſerat, crus dextrum conquaſsàrat. Sublatus è luto humillimus vir iuxta & patientiſſimus, gratias *Deo* agebat, quòd ſibi id, vtpote, qui ſe infra omnes duceret, non alij, contigiſſet. Immiſſum vulneri ferrum, pannos oleo feruente calentes, & reliquum cruciatuum apparatum ſine gemitu ac doloris ſigno tulit, adeò vt ſibi cum ſaxo, aut præcelſæ patientiæ heroë rem eſſe dicerent qui eum curabant. Inter acerbas neruorum contractiones cùm ſpem non niſi è cælo affulgere poſſe videret Pompilius Lambertengus Prouincialis, P. Fabium monuit, vt erectà in cælum ſpe, nuper aduectum ex India Magni S. Franciſci Xauerij brachium ad ſe adferri vellet, illius dextrà curandus. Hic verò modeſtiſſimà demiſſione id detrectare æger, & dicere; neq; ſe, neq; vitam ſuam tanti eſſe, vt illius propagandi gratià miraculum expeti, aut expectari par ſit. Nolle ſe emptam miraculo ſanitatem. Ergò rebus conſcientiæ compoſitis, obijt humilis verè vſq; ad mortem.

13. Iunii 1627. 5 Hoc etiam potiſſimùm honeſtamento nobilitauit mortem ſuam *P. Imbertus Boëtius*, qui magno humilitatis profundę ſenſu flagrãter poſtulauit morti proximus, vt morte humilium humi in cilicio & cinere mori poſſet, circulo aliàs ferreo ſemper accinctus.

6. *Anni-*

6 *Annibal Caccia* Mediolani altero tiro-
cinij ſui anno æger, aiebat manè identidem:
*Fiat voluntas Domini! Ecce nouum mihi diem
ad patiendum largitur* Deus! At longiſſimis, 10. Oct.
acerbiſſimiſq; doloribus finem dedit expecta- 1630.
ta mors. Crucifixum *Ieſum* oſculabundus al- æt. 18.
loquebatur familiaribus ſibi illis verbis: *Quis* 2.Reg.9.8.
*ego ſum, ſeruus tuus, quoniam reſpexiſti ſuper
canem mortuum ſimilem mei?*

7 Virduni *P. Petrus Camus* finiens do- 3. Ian.
lores acerbiſſimos ante triennium à Chriſto 1634.
impetratos, petijt ante mortem in triclinium
deportari, vt iſtic generalem de omnibus vitæ
vniuerſæ peccatis ſui accuſationem, & con-
feſſionem palàm faceret.

8 P. Recupitus ait *Patri cuidam* in Col- Induſtriarum pag.
legio Neapolitano morienti dæmonem ad- 438.
fuiſſe hortatorem; non eſſe iam cur ſe fati-
garet, vtpote qui iam eſſet in portu: At il- Necdum
le humilitatis, ac ſpei ſanctæ retinentiſſimus, ſumus ſe
reſpondit: Non ſum in portu: ſed ſpero breuì curi.
me in portu futurum, per merita Sanguinis
Ieſu Chriſti.

9 Græcij de moriente *Paulo Alaczkay* 1602.
iuuene eo ingenio & ſpe, qualem in præcla- Annuae.
ro Societatis Scholaſtico requireres, literæ
ita habent: Hic in Hungaria præter diligen-
tiam in informanda literaria iuuentute pro-
batam, zelum etiam animarum concionando
non vulgarem oſtendit, cùm feſtis diebus
cælo

Digitized by Google

cælo ſiue miti,ſiue tempeſtuoſo, & magnis vt plurimùm imbribus, & niuibus infeſto, per agros prataq; ſæpè ad medium crus aquis ex imbre collectis ſtagnantia vada tranſire coactus, non minùs leucam ab oppido itabat, et ſubditos noſtros ab hæreſi ad auitum religionis cultum alliciebat. Animam iam proximè redditurus, cum *Deo*, cum Virgine Matre, Diuis Societatis tutelaribus ſermocinationem inſtituit. Percurrit deinde vniuerſa Redemptoris Noſtri Myſteria,eaq; omnia veluti in vnum collecta faſcem æterno Patri pro occultis apertiſq; delictis obtulit: et ſpei plenus ad Chriſtum, cui ſeruierat, demigrauit, humilitate ac ſpe armatus.

1610. 10 In Collegio Nouocomenſi *P. Carolus Carlantinus*, indefeſſus ſenex, et magnis animarum ſpolijs felix, hoc vnum monuit, vt ne illi, morti vicino, et cum ea iam iam colluctanti multa inclamarentur: Hoc verò potiſſimùm velim, inquit, ingeminetis: *Memento, Pater, Redemptoris, qui peccatorum miſeretur.*

11 *P. Georgij Colibrant* morientis hæc fuit oratio: *Non intres in iudicium cum ſeruo tuo: quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Serua, Domine, miſericordiæ tuæ particulam miſello famulo tuo.* Aiebat ea quæ pateretur, eſſe puerorum luſum. Manu in altum elatà ecquid toties ageret, rogatus, reſpon-

reſpondit: *Offero* Deo *meo exiguos iſtos quos nunc patior dolores.*

12 *Cæſar Boſcus* emenſo nuper Philoſophiæ curſu Taurini moriens, Sacramentis perceptis Rectorem Collegij flagranter tenerèq; rogauit, vt ſibi liceret animam *Deo* reddere humi in ſtorea abiectum, cilicio veſtitum, & manu alterà Crucifixo, alterà flagello, ſeu diſciplinà, inſtructum. Sic voluit adire ſupremum tribunal Iudicis humiles exaltantis. *Aeternitas! Humilitas! Humilitas!* 1610.

CAPVT XXIV.

Obedientia morientium occupatio pretioſa.

1 P. *Leoni Lilio* quanto in morte ſolatio fuerit obedientia, velut lectulus quietis vltimæ, commemorat Hiſt. Soc. P. 2. l. 6. n. 16. Sibi certè in extremo iam conſtituto, aiebat ad Socios, illud eſſe iucundiſſimæ voluptati, quòd obediuiſſet, neq; vnquam à ſententia obedientiæ diſceſſiſſet. Ita & illis momentum vitæ vltimum ſpei fore potiùs, quàm timori. Vltima illi vitæ ſemihora ſupererat, cùm excuſſo quem adductum tenebat pede; Faceſſe, inquit, iſtinc bellua. Quid autẽ pelleret interrogatus, dæmonem fuiſſe reſpondit. Interroganti, num timeret, reſpondit, ſe non timere, *eò quòd Chriſtus cor ſuum inhabitaret.*

Obediens loquetur victorias.

Cor ægri *Ieſus* inhabitet.

2 *Petrus Colet* Coadiutor morti proximus candidè dixit; vnum adhuc ſibi quiddam in animo eſſe reliquum, quod Confeſſario non aperire timeret. Se nimirùm ante annos aliquot ſextà quadam ferià Chriſti Crucifixi præſentis aſpectu fruitum, dignatione optimi *Ieſu* pendentis è Cruce, ſibiq; blandè dicentis, fore vt poſt certos annos æternà immortalium beatitate frueretur. Videbatur Petro tempus necdum elapſum, atq; adeò timebat (ſemper tamen diuino nutui ad omne quod vellet animo promptus) vt ne omne id, quod adhuc ſupererat, temporis ſibi ſeruaretur in purgatorio exigendum, ad eluendas noxarum pœnas. Ingenuà ſimplicitate, quamuis non ſinè vetuſtatis exemplo, Rectorem obſecrauit, vt iuberetur mori; deſiderare ſe Chriſti exemplo ex obedientià mori. Iubere licèt detrectàrit P. Rector, ingenio tamen extemporali, ac planè in arenà ſumpto conſilio Petrum ſolatus, oſtendit, quomodo ex obedientia mori poſſet, ſi nempe moreretur animo exaggerato, planè ac ſanctè obediendi decreto illi optimi *Dei*, quo ſtatutum eſt omnibus hominibus ſemel mori. Acquieuit, & obediens mortuus eſt.

Crucifixus. 22. Martii 1628. æt. 69.

3 Liceat non à moribundis tantùm, verùm & à mortuo pretium obedientiæ, fidelis ad vſq; tumulum virtutis, diſcere. Eſt in annuis Antuerpienſis Domus Profeſſæ mors. *P. Ioannis*

21. Dec. 1624.

nis

nis Iſenbranti. Hic pridie morbi vltimi ad ægros euocatus, pro more, ibat libenter. Et Socio; Ego, inquit, hac nocte benè vigil tantum lumen in cubiculo meo vidi, vt diem illuxiſſe arbitrarer. quid hoc lumen portendere voluerit, ignoro. Ego ſanè in manu *Dei* ſum. Breuì morbo ab ægris hauſto è vitâ ſublatus, cùm in Sarcophago ſeptem iam vel octo à morte horis iaceret cadauer, & idem eius Socius illac fortè tranſiret, auditæ ſunt clarè ac diſtinctè tanquam viuentis Patris Ioannis voces in hoc verbum tertiò repetitæ: *Libenter! libenter! libenter!* quibus ille verbis, velut antiphonâ ſolenni, ſingulis Superiorum imperijs reſpondere ſolebat, quidquid agere iuberetur, dicens, agenſq; *libenter*. Ita hæc & ex viui, & ex mortui P. Ioannis ore audiuit idem frater. P. Franciſco Bray etiam viſus paulò poſt auguſtiore quadam formà, & veſte immortaliter ſplendidà glorioſus, eundem obeũdæ breuì mortis admonuit: cui etiam euentus reſpondit. Felix obedientia, quam etiam poſt mortem ita coronat obedientium amantiſſimus *Deus*! Dictis, & factis libenter obedire.

4 *Sulpitio Clerico* ægro Pariſijs Nouitio innocentiæ ſimplicitate inſigni, opificio ſutori Oliuerius Manareus hilaritatis causà dicebat ſe verò illi moriendi poteſtatem negaturum, niſi duos à *Deo* ſui loco ſutores pro Collegio impetraret, idq; ſe à *Deo* petere ex obediẽtia Hiſt. Soc. 1567. nu. 165.

profiteretur. Ad hæc æger ſuauiter renidens, facturum ſe id quod iuberetur promiſit candidè: et altero die deceſſit. Tertio poſt eius deceſſum die, duo ſutores artis periti in Societatem admitti ardenter expetière, et admiſſi ſunt, Sulpitij obedientiæ, et candoris fructus.

7. Dec. 1621. 5 *Ignatius de Raſsinghem* Tornaci ſupremum vitę diem abſoluit, ex illuſtriſſima Raſſinghemiorum Comitum familia, 19. vltimis vitæ annis Coadiutor. Nam, tametſi latinæ linguæ non ignarus, elegit abiectus eſſe in Domo *Dei*, ad omnia ſemper infima munia obedienter ac libenter abiectus, à quibus ægerrimè auellebatur, etiam cùm à Tornacenſium Antiſtite, germano ſuo, alijſq; primæ notæ viris, viſeretur. Sed obedientia illi omnium inſtar erat. Nam et per omnem vitam nihil quod maius momentum haberet aggrediebatur, niſi à Superiore obtentà, quam poſitis humi genibus petebat, et accipiebat, benedictione: et moriturus, paucis ante ſupremam horis, eandem pro felici exitu Benedictionem, atq;, vt ſic dicam, obedienter moriendi facultatem ſupplex petiuit: eaq; obtentà, obedientem animam dedit.

Benedictio pro felici morte petita.

6 *Franciſcus Andrada* paulò poſt exactum religioſum tirocinium cæleſti Collegio adſcriptus ijs virtutibus excelluit, quæ in hiſt. Soc. percenſentur. Potiſſimùm tamen in obe-

P. 3. l. 5. n. 227.

obedientiæ complexu vitam exuit. hoc illi in mortis mœrore gaudij argumentum, quòd in obedientia moreretur. Rogatus, quid ſibi à *Deo* impetrari à fratrum coronà percuperet; vt, inquit, eius de me voluntas vndecunq; fiat. Quoties petebatur; ecquid vellet; non aliud reponebat; quàm *quod obedientiæ placuiſſet.* Interroganti; quid ſentiret ſibi ſummo eſſe ſolatio in eo articulo? dixit: *Obedientia.* In qua vellet virtute vel maximè ſtudium poſuiſſe; adiecit: *In obedientia.* Iam vnctus ad agonem, et iuſſus fratri cuidam explicare in quo illum cuperet eſſe eximium: *In obedientia*, inquit. Obedientia ſolatium morientis

7 Aiunt etiam, et authores refert P. Andreas de Cacorla, quendam in Societate ſeu morientem, ſeu iam opinione aliorum mortuum, repentè exclamaſſe, dixiſſeq; ſe à Beatiſſima Virgine contra dæmones dirè furentes defenſum, cùm illa diceret: *Sinite illum, ſinite. Eſt enim è Societate Filij mei: & benè exercuit obedientiam.* In M.ss. ad P. Aſsiſt. Hiſp. miſſis. B. V. obedientem defendit in morte.

8 *Ioannes Antonius Apulus* Nouitius, rogatus, quando vitam finire vellet, reſpondit; cùm primùm venia data fuerit, finiturum. Nimirùm ſicut è domo foras prodire, niſi Superiore annuente, non licet; ita hinc egredi, noluit, niſi annuente illo, in quo *Deum* vitæ ac mortis arbitrum reuerebatur. Et P. Cornelio Vishauæo Tyronum Magiſtro, quan-

quando mori vellet quærenti, dixit: Cùm tu, Pater, veniam dederis. Veniam ſe illi dare ait Pater, primà vel alterà diei horà moriendi. Trucem dæmonum aſpectum ſe pertimeſcere dicente Ioanne; Nihil eſt, inquit, Pater, ego illum abs te arcebo; ego, *Deo* adiuuante fugabo. Et verò manè ad ægrum reuerſus, illum pugnis compreſſis cum dæmone ſeu luctantem, ſeu illi acriter minantem reperit. Cohorruit primùm, maximè cùm vagatione horridà igneum neſcio quid ibi circumcurſare aduertit. Tum Cornelius à pauore in preces verſus, illum inde ritu Eccleſiæ, ac verbis exegit. & Ioannes obediens victoriam retulit, atq; alterà diei horà feſſum ab eà victorià ſpiritum triumphis ęternis coronandum tranſmiſit.

7. Aug. 1551.

Orland. lib. 11. n. 19.

9. *P. Petrus Faber*, Romam tum cùm & ipſe nuper à febribus æſtuaſſet, & cælum caniculæ caloribus arderet, venit tamen; quia Ignatio perſuaſerant nonnulli, periculo id vacare. Hìc paucos poſt dies diem vltimum clauſit, quanto ſanctæ obedientiæ merito, ex Orlandino ſic accipe: Scripſit Gandià ad S. P. Ignatium Ouiedus, perſonam apprimè ſanctam, & *Dei* Spiritu mirè præditam, Fabri poſt obitum confirmaſſe, indicatam ſibi fuiſſe diuinitùs admirabilem eius, qualis Sanctorum eſt, gloriam, ipſumq; conſpectum multà luce fulgentem Patrem; ex quo multa & præ-

1. Aug. anno 1546. n. 86. & vitæ lib. 2. c. 28.

clara

clara audiuerit de Chriſti Domini obedientià, deq; gaudio, quo ipſe quoq; propter oppetitam mortem obedientiæ nomine in Beatis illis ſędibus frueretur, cùm ſanè donum illud obitæ ita mortis obedientiæ causà magnificaret.

10 In Pultouienſi Collegio moriens P. *Ioannes Gerardinus* Belga; qui vult, ait, eſſe lætus in agone, ſit *obediens* Superioribus, & reſignatus ad omnia officia. Animæ ſuæ ita locutum ferunt: O anima mea, iam hìc malè tractaris, iam pelleris! en domicilium tuum iam quaſſatur, baſes nutant, & vacillant, fundamenta diruuntur. quid igitur moraris? exi læta, exi ocyùs, inſtar columbæ miſſæ ex arca; reditura poſtmodum cum virenti ramo oliuæ. Non timeo mori habens à Chriſto Syngrapham ad cælum, duplici eius ſigillo munitam. Amen, amen dico vobis, qui reliquerit domum, patrem, matrem, &c, vitam æternam poſſidebit. Ad Beatiſſimam verò Virginem ita ſuſpirauit: O Maria, *certò tribularer nimiùm, ſi neſcirem tuum patrocinium!*

1606.

Fiducia in Chriſto.

In B. V.

Quæſo, pia Mater, clemens Patrona, dulcis Virgo, in hora mortis tuo præſidio fulciar, tuo munimine protegar.
Tu quaſi terebinthus extende ramos; & me laſſum refocilla.

CAP.

CAPVT XXV.

In morbo ſancta hilaritas, & patientia, pretioſa infirmi occupatio.

1 CAmacium Limanum apoplexia è viuis abſtulit. Vt id, quod patiebatur morbi, ferret hilariter, dimidià ante mortem horà Chriſtus Dominus conſpiciendum ſe ei corporis oculis præbuit, magnà fulgens glorià: quo è conſpectu frater mirà voluptate recreatus, teſtificans ſe ingenti cum lætitià & conſolatione vitam relinquere, ſupremum ſpiritum efflauit.

Hiſt. Soc. p. 4. l. 5. n. vlt.

16. Ian. 1620.

2 P. *Stephanus Benaſſai* in Collegio Romano moriens; Benè eſt, aiebat, beatè eſt, Patres; *in Paradiſum, in Paradiſum imus.* quà voce dulciſſimè omnes exhilarabat, eorum quæ patiebatur oblitus. Quidam è noſtris ad S. Andreæ in Domo Probationis degens, dixit ſibi iucundiorem ſolito lucem viſam, & in illa virum veſte albà candidatum, ore hilari & iucundo: in quem dum oculos defigeret, ſibi Patrem Stephanum animo obuerſatum. Paulò poſt de P. Stephani obitu ſchedam accepit; & illum ipſum fuiſſe, quem vidiſſet æternitatis hilarem candidatum ipſo illo tempore dum P. Stephanus moriebatur, aduertit. Denique *benè eſt* ijs quæ agimus, vel patimur, velut paſſibus, *in Paradiſum*

Digitized by Google

diſum imus. Dicite iuſto quoniam benè.

3 *P. Ioannes Rebellus*, in crure vrendus, atq; ſecandus, Crucifixum popoſcit, & in eius amplexu quicquid cæſim ac punctim ferrum in crus graſſaretur, fortis pertulit.

4 *P. Andreas Ouiedus*, Sanctimoniæ, & rerum admirabilium famà eximius, longis, & acerbiſſimis calculi cruciatibus adeò torquebatur, vt ij qui aderant ad commiſerationem, & preces ad *Deum* fundendas permoti *Deum* rogarent, vt optimi, ac innocentiſſimi viri miſertus, ex illis tandem cruciatibus felici illum morte eximeret. At Andreas patiendi auidiſſimus: A verbis, inquit, talibus abſtinete, filij: non mortem mihi, ſed patientiam, quà dolores iſtos æquo animo feram ab immortali *Deo* veſtris precibus depoſcite. Ego enim, ſi quà ratione vobis vtilis eſſe queam, in hiſce grauiſſimis doloribus triginta adhuc, & ampliùs, annos libentiſſimè viuam. Sinite *Deum* efficere, quod ipſi placet. Abſit vt ego velim aliud, quàm quod vult; aut dolores iſtos finire morte cupiam, quibus ipſi placitum vt viuens crucier. Et tum intimo cordis in *Deum* exporrecti calore ſuſpirans; *Ecce me ad omnem, ad omnem euentum, mi* Deus! *iube mori, iube viuere, iube vri doloribus, iube liberari: ecce ego*, Deus, *mi* Deus! *nihil recuſabo. Animum tantùm, vires, patientiam ſuffice! Ego deuota tibi victima ſum; ego Tibi, Deus*. Dolores

Vitæ c. 15.

Pati quamdiu vult *Deus*.

In doloribus.

Digitized by Google

vnà cum vità finiuit felix, & poſt mortem etiam glorioſus.

5 Stupenda ſunt, quæ de morbis & pluribus & maximis, nec minore patientià, *P. Leonardi Leſsij* referuntur. Octo diebus ante mortem, cùm ſe introſpiciens recordaretur, ſe de re quapiam queſtum eſſe, per quartam ferè horæ partem ſe in acerbas lachrymas dedit, dicens: *Nonne tu mihi ſufficis*, Deus *meus*, *vt ne de minimà quidem re conquerar? Aliud nolo; tu mihi es ſolatium*, Deus *meus*.

Vide c.20. n.2. hic.

15. Febr. 1620.

6 *P. Franciſcus Mamfroy* Tornaci obijt. Nouitijs per annos 12. Magiſter præfuit. Vltimo vitę biduo, igneo quodam ſelectarum in id tempus è Sacra Scriptura ſententiarum torrente rapiebatur, totuſq; fluebat in *Deum*. Dolores ſuos, quos à calculo acutiſſimos patiebatur, faciebat holocauſtum *Deo*, & ſic aſpirabat: *Domine* Ieſu! *quicquid vis, quantum vis, quamdiu vis, quomodo vis ego volo: fiat voluntas tua*. Et verò ſanctè: Nam, vt S. Ioan. Chryſoſtomus ait, hæc calamitatum nomina philoſophantibus ſunt tantùm nomina rebus carentia. Vera autem calamitas, *Deum* offendere, & eorum, quæ ipſi non placent aliquid facere. Sic ille.

In doloribus velle quod vult *Deus*.

Hom. 5. ad pop. Antioch.

6. Iulii 1621.

7 *P. Alphonſus Fernandez* Barcinonę diem finijt à Baptiſmo innocens vſq; ad tumulum à mortali peccato. Huius negotium fuit perpetuum, orare, & pati, ſiue conciones haberet,

ſiue

Digitized by Google

ſiue præeſſet,ſiue domi,ſiue foris eſſet. Peccata confitebatur quotidie. Longa, & inuicta illi, atq; æternorum cogitatione plena patientia. Pluris ſe ſuum morbum facere dicebat, quàm Rex Regnum. Repoſitam æternę vitæ ſpem in ſinu ſuo ita dulci animi ſenſu fouebat, quaſi promiſſam ſibi æternam gratiam gloriamq; audiſſet. In Crucifixum figens oculos, quicquid ageret pateretúrq; illi conſecrabat: immotis ab illo oculis & animo illa verba identidem recitabat, cogitationum plenus: *Momentaneum hoc, & leue!* Dolores Chriſto conſecrandi.

8 *Andreas Vvilſonus* Scholaſticus, Audomari vitâ deceſſit, mille milliones annorum, ſi *Deo* placuiſſet, libentiſſimè, vti aiebat, laboraturus. Carnem penè totam locis quindecim ad oſſa vſq; morbus abſumpſerat: quam exuri, & indies conſumi, cælo imminens geſtiebat, ſuauiſſimo pietatis ſuperfuſæ ſenſu repetens: *Auge*, Deus, *dolores! Auge patientiam! Fiat voluntas tua!* quæ etiam poſtrema viuentis vox fuit. 15. Ian. 1634.

9 *P. Ioannes Plaza* inter triennales articulorum dolores iacens, & de penſo diuini diuini officij nil vnquam omittens licèt alienâ manu paginæ verti deberent, oculis in cælum elatis, dicebat: *Domine, tu me percute: ego autem, pro more interea flagellatorum, Miſere mei* Deus, *dicam*. Ingens dolorum, piæq; patientiæ documentum Societati vniuerſæ à

Deo datum! *P. Ioannis Rumer* per annos facilè ſex Auſtriæ Præpoſiti Prouincialis Tyrnauiæ mortui virtutes magno planè viro dignę fuère; ſed patientia nemini non fuit maximæ admirationi. Quippe, vt medicus in chirographo ſuo loquitur, dextri renis tabes ad extrema illum adduxit, & calculus, ad pondus quidem nonniſi duarum drachmarum, ſed figurà oblongà variè cuſpidatà pertruſerat renem in regione vreteris, quem quaſi cultro à rene auulſerat, putreſcente aliquà parte inferiore lienis, infimà parte hepatis flaueſcente, inteſtinis tenuibus in gangrænam ferè inflammatis, & iam non vno in loco putridis. Hæc medicus, ac his plura de impedito etiam aquæ reddendæ leuamento. Et tamen ille vir magnum herois nomen non minore virtute commeritus, nihil queri auditus eſt, nec vllum calculi, vel atrociſſimi illius doloris ſignum dedit. A morte apertus, reperto ferali calculo tum demum Patres, & medicus è calculi forma, & loco in quo latuerat, doloris diritatem tantà patientiæ admirabilitate penitus diſſimulatam meritò ſtupuere, ac celebrauere. Cordatus enimuerò ſemper, & in *Deo* vnicè fixus flagranter, et ſe cruciabat, et ſuſpirare ſolebat in cælum, ſiue in itineribus eſſet, ſeu domi, magnis vt agendis ita ferendis par. Morientis ſuprema vox fuit: *O quàm benè mihi eſt!*

5. Iun. 1643.

D. Ioannes Glok.

10. P. Ga-

10 P.*Gaſpar Hell* Ambergæ Rector obijt morte hauſtà à peſtiferis viſitatis. Tanta, inquiunt literæ, pietatis, patientiæ, humilitatis, contritionis, et amoris erga *Deum* ac proximum edidit ſigna, vt morbo durante videatur instituiſſe pulcherrimam ſcholam variarum virtutum. Inter poſtrema verba, cupere ſe aiebat, vt indignum, et infimum Societatis hominem, finire vitam *in ſummis doloribus*, tumulariq; in fœda, et inacceſsà palude. Hi ſunt nempe, qui voluntario purgatorij compendio pœnas illas hìc perſoluunt; & augent lucra æternitatis. *Etenim infirmitas carnis, ſi patienter ſuſtineatur, erit quaſi purgatorius ignis*, inquit Beda: *Et ſine ferro Martyres eſſe poſſumus, ſi patientiam in animo ſeruamus. Quocirca* (S. Ioan. Chryſoſtomi velut ægrum in lectulo alloquentis verba ſunt) *cùm tantam pœnam lues, magnam hinc mercedem, multa præmia, remunerationes, quas nemo verbis vllis conſequi poſsit, ſplendidas, ac valdè florentes huiuſmodi certaminum coronas expecta. Non enim duntaxat aliquid boni efficere, ſed etiam aliquid mali perpeti, magnam mercedem, atq; ampla præmia obtinet*. Idcircò & S. Gregorius Nazianz. ait; *morbum nihil aliud eſſe, quàm vtilem quandam inſtitutionem*.

20. Oct. 1634.

In ſcintillis.

Epiſt. 3. ad Olymp.

Ep. 70. & 64.

11 Talis inſtitutio fuit morbus, & mors innocentiſſimi Viri, & viri dolorum P. *Franciſci Piccolominei* Societatis *Ieſu* Præpoſiti Genera-

neralis; cuius dolores cotis inſtar erant ad illius ingenium, cor, verba mirificè acuenda, & inflammanda, cùm admirabili virtutum ſolidarum exaggeratione ſuam patientiam cumularet ſuſpirijs gratiarum & amoris plenis: *Non meum*, aiebat, *Domine, ſed tuum eſt dicere; ſufficit. Domine, ſis benedictus! Hæc mea viſcera debent liqueſieri, diſſolui; ſis benedictus!* Commendationem animæ recitari petens dicebat: *Eia ponite animam meam in manus Angelorum. Veni, Domine, noli tardare.* Conuenit etiam cum vno & altero, vt ad ſigna quæ daturus erat, abſolueretur, cùm loqui non poſſet. id quod in agone fecit. Petebat poſtea lætior dolores ſibi alios alijs addi, ad illos exantlandos paratus in milliones annorum. Io. Card. de Lugo illi à Pont. benedictionem attulit. Preces pro ſe fieri non aliter voluit, niſi vt moreretur benedicens *Deum*. Inter dolores qui tota illi viſcera exurebant, dicebat lætus cuidam Patri: Morimur; & ridemus. Aquam quæ illi recreando allata fuerat vt biberet, aliquando totam effundebat, & dicebat: *Libemus* Deo! *Hoc enim eſſet quærere delicias in Cruce in qua me poſuit* Deus. *Serua mihi aliquem angulum in tua cruce, Crucifixe mi* Ieſu! *Ecce me ad patiendum ampliùs, & ampliùs, etiam per totam æternitatem, ſi tibi ſic placeat*, Deus! Dixit cuidam hilariore quadam ſpe vnde-

quaq;

quaq; perfuſus, quòd cùm *Deus* incipit auferre timorem quendam, (vti ipſe tunc experiebatur) pati, ſit res longè dulciſſima. Animabus etiam quæ in purgatorio patiuntur ſe ſe crebrò, ardenterq; inter dolores ac æternæ felicitatis deſideria commendans, dixit; ſe omnia ea ſacra, quæ ad intentionem Generalis fiunt quothebdomadis, illis tranſcripſiſſe: nempe vt illæ apud *Deum* optimè omnia expedirent negotia pro quibus illa ſacrificia deſtinari poſſunt: quæ ars felici ſucceſſu ſolet à *Deo* coronari. Cùm actus fidei faceret, rogabat Beatiſſimam Virginem, vt in quo ille deficeret, è ſuæ fidei plenitudine illa ſuppleret. Poſt communionem auditus eſt dicere aliquando: *Domina, patere quæſo, vt merita tua offeram* Deo *meo. Cùm enim propria non habeam, niſi tua offerrem, vacuus in conſpectu Domini apparerem.* Cùm id per vires adhuc poſſet, per quartam horæ partem nudis humi genibus perſtitit petens vt B. V. dedicato die Sabbathi mori poſſet. obtinuit, 17. Iunij extinctus. Deſiderabat per morbum aliquando videre cælum è feneſtra; & dicebat: *Heu quàm ſordet terra dum cælum aſpicio!* Tum *Deum* cæli coram tota eius curia adorabat. Sæpè illi in ore illa: *Paradiſus! paradiſus! Breui, breui, ſpero iſtic erimus. Magnificat* ſæpè, ac tenerè ſecum repetebat; illa potiſſimùm: *Et exultauit ſpiritus meus, &c. Dolores,*

1651.

Vid. lect. 6. de comm. vnius Mart.

Pretioſi dolores.

res,

res, aiebat, *pro* Dei *amore cum patientia tolerati, ſunt menſura itineris ſurſum. Quare oportet menſuram iſtam habere bonam, confertam, & coagitatam.* Voluit Sacrum in S. P. Ignatij cubiculo celebrari: & per illud petijt animam ſuam immergi in Sanguine Saluatoris. Quò plus patiebatur diros illos, & longiſſimos calculi cruciatus, eò ſe magis ad reddendas *Deo*, quaſi pro nouis beneficijs, gratias effundebat, confeſſione quotidie ſæpiùs inſtitutà. Sed fuſiùs de illo plura in vita.

12 *Sancius de Auſa* Nouitius Valliſoleti cùm in longo 80. dierum morbo ſiti æſtuaret, linguà totà exuſtà & aridà, licèt aquam ſemper ad manum haberet, quà os elueret, nunquam tamen bibit; vt obedientià ſuam patientiam redderet pretioſam, ſitientem interea in Cruce *Ieſum* pro patiendi regulà contemplatus. Biduo ante mortem Chriſtus illi talis in Cruce apparuit, qualem ille ſitientem fuerat meditatus, et ſiti ſuà imitatus. Videbatur ſibi vaſculum liquoris pretioſi, et Chriſto valdè grati Crucifixo porrigere, ac illi dicere: Domine mi, ſumne ego inter electos tuos? Affirmante Chriſto, adiecit æger; Domine, accipies ne me tecum? Tum Chriſtus: *Ita, fili, accipiam te mecum.* Et biduo poſt eò abijt quò ſperabat, ad torrentem voluptatis, quo potat ſuos *Deus*.

In ſiti ſolatium à patientia *Ieſu*.

23. Febr. 1585.

13 P. *Alphonſus Salmeron* morti vicinus

inter-

interrogauit, ecquando eſſet octauus à S. Agathæ feſto dies: cùmq; audiſſet, Cras fore: illum ſibi ſupremum futurum verè prædixit. Sæpè iterabat illud: In vitam æternam! Hodie vitæ ærumnis tandem eripiar. Lætabitur anima mea in *Deo* ſuo. S.Agatha.

14 *P. Franciſcus Coſterus* (qui dicebat nolle ſe moroſum ſenem mori) anno 1619. ætat. 88. moriens, inter vltima Sacramenta dicebat: O quanta Conſolatio! Libenterne moreretur, roganti; repoſuit illud S. Ambroſij: Ita vixi, vt me vixiſſe non pudeat; *mori autem non timeo, quia bonum Dominum habeo*. Pſalmum: *Qui habitat*; cum meditatè audiret, ſingulorum verſuum ſenſum in diuina beneficentia aiebat ſe cum bono *Deo* expertum. Tandem vbi lectum illud: *Oſtendam illi ſalutare meum*: adiecit; Hoc adhuc ſupereſſe: hoc ſe ſperare. Hoc à Domino expectare illum debere aiebat quiſpiam: et ille hilari fiducià; Nihil, inquit, dubito, nihil dubito. Et *quantum erit gaudium cum Domino eſſe!* quæ illi ſuprema fuère, mox animam expiranti. Pſ. Qui habitat. Spes in morte. Deſid. Deus.

15 Nota eſt *P. Alphonſi de Santiago* hiſcè verbis immorientis vox: Plaudite, et lætitià mecum exilite. En video cęleſtis curię agmen: *Dei* Sanctiſſimam Genitricem video!

16 *P. Paulus Hoffæus* inter diros calculi, podagræ, chiragræ dolores, tamen ſub mor-

tem de Beata Virgine cecinit, cantare aliàs nunquam auditus.

19. Ian. 1591. 17 De *P. Emundi Augerij* morte, Nicolina Orſolina, magnæ pietatis ac patientię fęmina, ſuo confeſſario P. Bernardo Solabello, et hic P. Ludouico Richeomo Aſſiſtenti ſic indicauit. Immminente illius mortis horà videbar mihi illũ audire de rebus altiſſimis, ac myſteris diuiniſſimis alterius vitæ differentem. Horà circiter noctis alterà duos Angelos animaduerti hinc inde Patris lectum circumſtantes, explicare mappam candoris eximij, dum tertius veſtem pulcherrimam, ac ſplendidam tenebat eo ferè modo quaſi, ad induendum Patrem, illius è vita exitum expectaret. Poſt paulò magnam Beatorum multitudinem aſpexi cubiculum pulchro ordine, & admirabili pompà ingredientium. Circa ſeptimam noctis tota illa Sanctorum diuina cohors moueri cœpit, & incedere vià latà, ſpatioſà, diuite, & à terris ad cælum vſq; pertingente. Quod cùm mihi ſtuporem attuliſſet, interrogaui neſcio quem mihi tùm ignotum de tam magnifico feſtoq; apparatu, & quid tam lætæ ac ſolemnis pompæ ſcena ſignificaret. Tum ille; Statim intelliges, inquit. & protinus Patrem Emundum vidi pleno maieſtatis gradu, & ſpecie hominem ſuperante venientem veſte duplici magnificè coopertum; quarum interior altera niuem

Angeli.

Cubiculum morientis.

Pompa cæleſtis.

æqua-

æquabat candore, altera ſuperior omnium colorum pellucidà varietate fulgurabat. Tumq; cogitare ſubijt; candore puritatem illius, cæteris coloribus ardentem charitatem in *Deum* & proximum repræſentari. Præcedebant ordine pereleganti diuerſæ puerorum turmæ Patris laudes ſuauiſſimè canentium: et ſæpiùs in eum oculos, hortantium more, reflectendo ad maturandum, feſtinandumq; inuitabant. Præterea in cælo ſe ſe meis obtutibus obtulit menſa exquiſitiſſimi operis, et pretij, in qua expectabatur ab omnibus Societatis *Ieſu* Patribus, qui tum æternà beatitudine fruebantur. Accidit poſtea, vt huic reuelationi non omninò fidem adhibens, quoties pro eius anima preces fundere vellem, et Pſalmum in Eccleſia recitari ſolitum pro defunctis pronunciare; cùm ad verſum: *Requiem æternam dona eis Domine*: ventum erat; nunquam, etiam adhibito conatu, illum pronunciare poſſem; ſed illius loco in animum linguamq; recurreret: *Gloria Patri, & Filio, &c.*

Veſtis puritatis, & charitatis.

zeli animarum fructus.

Inuitamur ad cælum.

Menſa cæleſtis.

Societas cæleſtis.

18 *P. Franciſcus Boutonus* peſte contactis ſeruiens, et ipſe lue correptus, chirurgum rogabat, vt emplaſtra cum carne vi auelleret; infirmarium, vt manus igne ambureret; dicens: *O quàm bonum, & ſuaue eſt ſemper aliquid pati in corpore, Chriſti causà, dum viuimus*. Ad Patrem, qui propè in lecto alio è lue ſimili animam ferè agebat, adrepſit; il- 1628.

Deſiderium patiendi.

Digitized by Google

lum ſacro oleo vnxit: et ab illo viciſſim eſt vnctus. Ita vterq; in Domino deceſſit. *P. Michaelis Hermanni* Viennæ morientis inter diros capitis dolores ea vox fuit: *Patientiſsime* Ieſu, *coniunge dolores meos doloribus tuis*.

25. Sept. 1653.

19 *P. Alphonſus de Medrano* cùm aliquando ſub vitæ finem in ſenectute vltimà dyſuriæ doloribus acerrimè cruciaretur, vſq; ad gemitum et clamorem, vir aliàs tolerantiſſimus, rogauit benignam Domini Matrem, vt ſibi à doloribus non libertatem, ſed interſpirandi otium impetraret; ſed eoſdem iterùm ad patientiæ materiam reſtitueret. Finem orandi finis dolorum ita excepit, vt planè nihil ſenſerit. Sed poſt aliquod interuallum, iterùm æquè acerbus redijt, quaſi iuſſus, dolor.

Patientia petenda per B. V.

20 *M. Iacobus Mlocki*, vt diximus, ad morbum ferendum hortatricem habuit *Deiparam*, quæ illi duabus comitata Virginibus adfuit, et ſignificauit; breuì hinc ad cæleſtium Societatem migraturum: modicum interim adhuc ferendum.

1611. n. 19. pag. 668. annuæ Rigæ.

21 *P. Franciſcus de Montmorenci* magnos inclytæ ſuæ nobilitatis, et honorum titulos, opes, et ſpes, in Societate ad humilitatem profundam demiſit. 20. circiter annis intra cubiculum illi hærendum fuit, cùm iſchiade afflictus, et luxatà demum coxendice ſe non niſi fulcrorum ope moueret. Tranquillà ſemper patientià hilaris verè impleuit

Duaci 5. Febr. 1640. æt. 62.

20. annorum infirmitas.

uit illud anagramma quod illius libro præfixum eſt:

Franciſcus de Montmorenci
Conſtans fer Domini Crucem.

In morte (cui aliquot dierum exercitia pro apparatione præmiſit) cum liquido ſenſu teneræ pietatis dixit; ſibi in ſeculo mortem nunquam futuram fuiſſe tantæ pacis plenam, et gaudij, quantum experiebatur. Cæleſtem quandam auram etiam in illa dolorum tam pertinacium acerbitate ſpirare videbatur. Vltima morientis huius Iob verba fuère: *Ieſus! Maria! ſit* Deus *benedictus*.

Exercitia morti præmiſsa.

Læta mors.

22 *P.Iacobus Morellus* 4. vota prof.Bruntruti, vbi 11. annis præfuit, per 4. annos totis pedibus, imò toto corpore, fœdum, et miſerandam vlcus fuit, ſanguine putrido in ſaniem vndiq; inundantem, ac dolores acerbiſſimos exulcerato. Ea exulceratio biennio extremo etiam omnem videndi facultatem illi ademerat. Ipſe verò nunquam, non dico querulus,ſed ne triſtior quidem vlli eſt viſus. Semper tranquilla illi mens erat in pulchritudine pacis, & animi dulciſſimis modis *Deo* acquieſcentis, gratiaſq; agentis, ac ſe in ſchola patientiæ Chriſti diſcipulum appellantis; deniq; Lazari, Tobiæ, Iobiq; vt ærumnas ita tolerantiam, virtute ſolidà in ſe, velut in ſpirante trium illorum heroum effigie, commonſtrantis.

17. Apr. 1655.

CAPVT

CAPVT XXVI.

Aliorum etiam preces, ac Sacrificia, & omnes aliæ quotquot morienti vſui eſſe poſſunt induſtriæ, pro felici ſucceſſu agonis vltimi poſtulandæ.

Eccli. c. 6. à v. 14.

1 HIc eſt *amicus fidelis protectio fortis. qui autem inuenit illum, inuenit theſaurũ. Amico fideli nulla eſt comparatio. Amicus fidelis, medicamentũ vitæ, & immortalitatis: & qui metuũt Dominum, inuenient illũ.* ita vt vnum è magnis timentium, & amantium *Deum* quorundã pręmijs videatur, amicum fidelem pro illo articulo nanciſci, à quo fideli & ardenti oratione ad SS. Sacramentum, ad Sanctorum reliquias fusà, diuino Sacrificio celebrato, & modis alijs adiuuentur. *P. Petrus Caniſius* ab ijs qui aderant, coràm; ab abſentibus, per literas, ac nominatim à P. Generali, expetebat preces curà ſingulari, & ſerià, atq; ſollicità. Amicos per literas obnixè rogabat, vt non ipſi tantùm id facerent, ſed & alios ad comprecandum pro ſe vltima ſubituro incitarent. Allatæ illi ſunt literæ planè ad votum, in quibus magna Sacrificiorum, Roſariorum, Pſalmorum, Litaniarum, & aliarum precationum vis illi offerebatur affatim planè. Totus ille ad lectas illas literas, emicante pulcherrimà cordis hilaritate, geſtiebat.

2. Alte-

2 Alterum verò quod à præſentibus amicis,(vno potiſſimùm ex omnibus, & altero ad id ſelecto) poſtulandum cenſeo, ſunt eæ, quæ morienti amico vſui eſſe queant induſtriæ; vt ne obliuione, vel negligentià, aut diſſimulatione periculi negligantur. Dicam hìc ægro quod Seneca ſuo Lucilio: *Ita fac*, mi æger, *vindica te tibi: & tempus quod adhuc vt auferebatur, aut ſurripiebatur, aut excidebat, collige, & ſerua*: ne vltima vitæ pars tibi elabatur non iam dico malè, aut nihil, agenti, ſed ne quidem aliud ab eo, quàm quod agendum eſt, agenti. Tunc turbatis tui corporis humoribus; & ſenſibus dolori, expectationi, & nauſeæ, faſtidioq; intentis, ac mæroris tædio ſopitis, omnia non occurrent, quæ nunc ſano, & vegeto, atq; ad omnem pietatem compoſito occurrunt. Habe itaq; vnum, alterumùe, è primæ admiſſionis amicis (quanquam in Religione magna eſt etiam in hoc æqualitas) qui tibi, Ioannis inſtar, adſint in vltimis non dico tribus horis vitæ, vt Chriſto expiranti Ioannes cum B. V. adfuit, ſed etiam hebdomadis, & maximè diebus; rogaq; illos, & alios, vt ea ſibi ſuggerant fidenter, quæcunq; illi articulo primò neceſſaria, deinde vtilia vel conuenientia eſſe cenſebunt. De *P. Petro Caniſio* eius vita hæc habet: Aduocauit ad ſe valetudinario Præfectum Patrem, & his verbis affatus eſt; Mi Pater,

Sen. ep. 1. init.

Amici ſuggerant ægro quæ ad rem præſentem conducunt.

Lib 3.

Digitized by Google

Pater, gratias ago *Deo*, quòd res in hunc locum deducta eſt: & breui futura eſt immutatio mea. Proindè obnixè Tuam Reuerentiam precor, *vt operam des, quò cuncta rectè ordineq; fiant; atq; ego comparem me, & res componam vti oportet*. Peractis omnibus, magnoperè lætatus eſt cùm cognouit ex P. Rectore, Socios quoq; Collegij pro eo precibus omnes inſiſtere. Vide virum eius artis & induſtriæ, quæ circa migraturos adhiberi debet, experientiſſimum, alienæ ſe diligentiæ ac precibus committentem. Occurret illis non vna induſtria quà purgatorij tui pœnas breuies; & aliquid in horas adijcias ad cumulum coronarum. Atq; hoc ego punctum tanti facio, quantulumcunq; ſapio, vt omitti nullà obliuione debere omninò cenſeam; cùm in re tanta oculi plures plura videre ſoleant, quàm ferè ægri oculus; qui nihil mirum eſt apud ſapientes, ſi in illà mortis caligine, magnà etiam rerum agendarũ obliuione caliget. Tu, cùm in alijs momenti alicuius negotijs, tum in hoc maximè negotio æternitatis, *ne innitaris prudentiæ tuæ*. Hoc prudentem, hoc de ſua ſalute ſeriò ſollicitum, hoc de ſe modeſtè vſq; ad mortis vltima ſentientem decet. Hinc eſt, opinor, id quod ex amiciſſimis, ſapientiſſimiſq; audiui, dicentibus; deſiderare ſe à ſingulis, à quibus viſerentur, Patribus abſolui, breui confeſſione præmiſsà: et ope ſingulorum, conſilioq;

Audienda conſilia amicorum.

Prou. 3. 5.

iuua-

iuuari. Nec immeritò; nam hìc certè potiùs, quàm in vllo iure nulla diligentia nimia, vel ſuperuacanea eſt.

3 *P. Didacus Martinez* P. Franc. Ant. Georgium amicè admonuit, rogauit, et in quibuſdam quæ circa ſe migrantem agi cupiebat, diligenter inſtruxit. Tum lætus egit omnia, quæ migraturi ſolent.

4 *P. Eleutherius Pontanus* vir qui ab ipſo S. P. Ignatio Spiritus primitias bibit, licèt ſcientiſſimus eſſet, quid ſupremo illo rerum articulo agendum eſſet, multùm tamen in induſtriâ Sociorum, plurimùm verò in Patris Spiritus Præfecti fideli diligentiâ, et accuratione poſitum eſſe ratus, ne quid ad beatum finem faciendum omitteret, vocato ad ſe illo, vt animæ ſuæ curam ſuſciperet popoſcit. Et verò magnum induſtriarum compendium eſt, habere tunc amicos fidos à memoria, qui vltima ſuggerant. Et ferè præſtat illos nonnihil eſſe opportunè importunos, quàm nimis lentos, aut obliuioſos, vel timidos. Pontanus non niſi de æterna vita cum illis egit; & obijt, ſæpè ingeminans: *Egredere, anima mea, egredere.* Annuæ Attrebat. 1611.

5 *P. Theodorus Schotlerus* Græcij poſt multa omnium quæ ad mortem religioſiſſimè obeundam faciunt virtutum edita documenta, iuxta illud, *vt ſciam quid deſit mihi*, amicè accito cuidam Patri dignam prouidentiſſimâ religioſiſſimâq; prudentiâ propoſuit quæſtio- 14. Sept. 1649.

Digitized by Google

nem, cùm diceret: Ecquid adhuc induſtriæ, quid artis eſſet ſuper, aut quid demum poſſet eo in ſtatu agere, quod diuinæ bonitati, ad quam iter proximum adornabat, exquiſito, ac exaggerato quodam modo placeret? Id verò ſe lubentiſſimè facturum; & ita hinc migraturum. Proſunt hæ quæſtiones. quidni enim pluribus plura expertis occurrant? Et par eſt, nos id agere omnibus artis induſtrięq; viribus, & quàm maximè exaggeratà totius animi ac mentis contentione, pietate, accuratione.

6 Quantum habeat momentum in momento illo, vnde pendet felix aut infelix ęternitas, præſentia prudentium, & pietas Sociorum, *Granatenſis ille Magiſter* oſtendit, cuius nomen ignorare ſe ait, ſed rem è teſte oculato habet hiſtoria Prouinciæ Boeticæ. Is morti iam vicinus, vnius ac dimidiæ horæ ſpacio velut in extaſi poſitus videbatur, præſente, vti fieri conſueuit, è Patribus quodam, & fratre Adiutore Gaſpare de Caballar, qui hæc narrauit. Excitatus repentè infirmus, miſerabili voce exclamauit: Heu me miſerabilem! Stiterunt me pro tribunali *Dei*: & dixit mihi *Deus*: Auferte hinc malum illum Religioſum. Quæ vltima æger cùm ſæpiùs repeteret, appoſitis ad rem pręſentem induſtrijs, precibus, præſidijs à Patre ſocioq; adiutus & exhilaratus, iucundè in hæc erupit: *Benedictus ſit*

M. S. ab anno 1573. c. 15. à n. 14.

Deus,

Deus, *qui mihi iam ignouit*! Sic demum inter hæc ipſa verba lætum ſpiritum exhalauit.

7 *P. Hieronymus Rubiola* moriturus alios ac alios Sodalium Senenſium cœtus ad ſe exciuit; præclaris monitis inſtruxit. In paruulorum verò ferè ſeptuaginta in orbem circa lectulum humi collocatum fuſorum coronâ, duabus in altari candelis accenſis, *Salue Regina* præiuit, & vnà cum innocentibus illis Angelis totam abſoluit antiphonam. 1571. Sach. 1571. n. 22.

CAPVT XXVII.

Lectio ſpiritualis pretioſa occupatio Infirmi.

1 P. *Petrus Caniſius* vltimis vitæ menſibus cùm optimo lectiſſimoq; modo ſe ad mortem felicem vellet componere, optimè ſe id facturum arbitrabatur, ſi mortem ſuam componeret ad migrantium exempla Sanctorum. Septembris initio Sanctorum quatuor vltimis anni menſibus occurrentium vitas omnes audire ita voluit, vt illas vnà cum vita ſua abſolueret: *Benedictus*, aiebat, *Deus in Sanctis ſuis*! *O laudatiſsime in tuis Electis* Deus! *Gratias tibi pro illis*! *Gratulor tibi de illis*! *Laudo te in illis*! *Et conſummatos illorum labores tibi offero pro illis à quibus iam ceſſo laboribus meis*. Ita ille quos in Cælo paulò poſt coràm ſalutaturus erat, eorum me-

moriam repetebat,ſe accendebat,& parabat.

2 *B. Aloyſius Gonzaga* petebat ſibi legi aliquid. 1. è Pſychagogià; vel 2. è D. Auguſtini Soliloquijs; vel 3. è S. Bernardi Sermonibus in Cantica. vel 4. hymnum: *Ad perennis vitæ fontem Mens ſitiuit arida*. aut

Pſ. 41. Pſ. 121. 5. *Quemadmodum deſiderat ceruus*, &c. *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi: in Domum Domini ibimus*. His ille libris, quaſi *Dei* ſe vltimùm alloquentis epiſtolis, audiendis delectabatur, & ſitim ſuam explicabat in cælum, ac ſimul tempus tædijs miſerè obnoxium, æternitatis delectationibus non fallebat, ſed delectabat.

3 *Robertus Cardinalis Bellarminus* accepto mortis iam vicinæ optato nunciò, deinceps nihil aliud agere viſus eſt, inquit vita illius,quàm preces varias,atq; hymnos Dauidis recitare; vel *audire pios obitus Sanctorum*; ac præ alijs mortem S.Caroli Borromæi.Certè pretioſæ ſunt,& coram ægro identidem legi dignæ S.Caroli Proteſtationes.

Lib.7. c.3. Vltimæ occupationes.

4 *P. Hieronymus Rubiola* in ſupremo vitæ actu,nil niſi de *Deo* voluit audire,vel *de pio volumine*, vt habet Sachinus. Aiebat, nunquam tam vegetos ſibi fuiſſe ad diuina ſenſus, quàm habebat collabente corpore, nec tam benè vnquam antea diuinam Scripturam,tantoq; cum guſtu intellexiſſe.

P. 3. l. 6. n. 20.

5 Enimuerò torpentes tunc ac vi morbi hebe-

Digitized by Google

hebetatos ſenſus par eſt ſacrà librorum ſelectiorum lectione acuere, iacentes erigere, atq; illis adminiculis fulcire. Copres dum præclarè actam Eremi aſcetarum vitam narraret, elegans & pretioſus coram illo liber explicatus apparuit, è quo ille characteribus aureis exarato legebat, quæ alij audirent. Facilè fidelis amicus Copretis lectoris implebit officium, quando, ſupremo amici vaſa pro itineribus æternitatis colligentis ſolatio, aureum quempiam libellum leget; ſeq; amicum verè in oculis tuliſſe oſtendet, quando inter legendum oculorum amici functus vice, id faciet, quod amici oculi facerent, ſi valeret. Sed in Religioſis familijs id præ quàm alio in loco facile eſt, vbi plures ſunt, qui id & poſſint, & vltrò velint.

6 Quid autem legendum ſit, facile erit ſeligere vel ea, quæ Caniſio, Aloyſio, Bellarmino lecta dixi; vel ea quæ æger dum valeret ipſe ſibi in extremum tempus adnotauit, lectiones 2. nocturni per octauam omnium Sanctorum, item de communi vnius Martyris lectiones Nocturni ſecundi & tertij: S. Auguſt. medit. cap. 13. 20. vſq; ad 28. item alia quibus æger aliquando ſenſit ſe ad cæleſtia magis inflammari.

7 *P. Ioannes Polancus*, charus ille S. P. Ignatio vir, vbi ſenſit ſibi momentum inſtare nouiſſimum, inquit Sachinus, Chriſtianis præparatus P. 4. l. 4. n. 35.

tus myſterijs, è libello, quem ad iuuandos morientes paulò antè in lucem ediderat, iuſſit ſibi aliquid recitari: & caput *de erigenda in* Deum *ſpe* legi petiuit.

8 Fuère è Societate nonnulli qui inter ardentia pro Chriſto moriendi deſideria, cùm pro Domino haud poſſent, in Domino morientes, domeſtica fortiter ac ſanctè morientium exempla ſibi prælegi audiebant; parati & ipſi, ſi *Deus* annueret, non ſiccà, ſed cruentà pro dilecto Crucifixo *Ieſu*, morte defungi.

4. Iunii. 1651. ætat. 78.

9 *P. Ioannes Euiſonus* moriens dixit, ſe in in omni vita nunquam librum pium ſine grato ſapore & guſtu perlegiſſe. Crucifixo vltima dās oſcula ſuauiſſimè immortuus eſt illis verbis: *Amo te ſuper omnia! Doleo ſuper omnia!*

Amor, dolor.

10 *P. Ioannes Ribera* in Philippinis elephantiaſi exulceratus, totus in vlcera dirum in modum abierat, ſpiritu intercepto ac animo linquente inter dolores non raro collapſus. tamen ſtetit ſemper gratias agens, & indignum ſe beneficijs tantis dicens. Pro patientiæ verò armaturà Iobi patientis hiſtorià ex anagnoſte audità ſe firmabat.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XXVIII.

Paranda in vita, quæ tibi prælegantur, vel proponantur in morbo, & morte.

1 P. *Iulius Fatius*, poſt confeſſ. generalem petijt à Confeſſario, vt *Mortorium*, ſeu libellum, quem de iuuandis morientibus conſcripſerat, identidem ſibi lectitare ne grauaretur. Ita extremum Archiepiſcopo viaticum miniſtrante indulgentià donatus,&c. tempus in lectione ſui *Mortorij* audiendà, & pijs cum Crucifixo, & de *Deo* colloquijs traduxit, illud inter ſuprema pulchro pietatis guſtu ingeminans: *Inter brachia Domini mei (mei, mei, mei!) & viuere volo, & mori cupio.* Annuæ 1596. Montis regal.

2 In Mauriacenſi Collegio die Sancti ſui patroni menſtrui vixit *P. Robertus Cuiſſotus* magnarum omninò virtutum vir. Intra 12. dies, quibus ægrotauit, totius anteactæ vitæ memoriam dolenter repetiuit,viatico ter munitus per ea interualla. Et cùm ſe præ languore commouere vix poſſet, *ſubinde legi ſibi voluit certos Autorum locos, quos in hunc vſum ante profectionem extremam ſibi collegerat*: *inter quæ prima fuit mortis B. Aloyſij Gonzagæ narratio*. Iam ipſe repetebat, iam ſibi ab alijs repeti volebat illa S. Pauli: *Siue viuimus, Domino viuimus; ſiue morimur, Domino mori-* Annuæ 1610. 23. Dec.

Digitized by Google

morimur. Siue viuimus, ſiue morimur Domini ſumus. Mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum. Ad hæc in ore illi B. V. S. Ioſeph, Robertus, Ignatius, Xauerius, Tereſia.

14. Aug. 1640. ætat. 80. Soc. 61.

3 P. *Aſcanius Marazzius* Nouellariæ vitam annis grauem, plenam dierum ſanctorum, fine religioſo concluſit. Sanus *quotidie ſe ad mortem componebat*. Vnde cùm oleo ſacro vltimùm vngeretur, dixit; complures iam annos eſſe, ex quo ipſe, mutatis mutandis, illo ſe apparatu ad mortem quotidie comparaſſet. Quoties æris campani ſignum pro mortuis in vrbe pulſabatur, toties ille pro requiete mortui, & pro ſuæ mortis felicitate enixè precabatur. Pretioſa in conſpectu Domini Sanctorum mors, & ſuprema Sanctorum è mortalitate hac æternitati iam imminentium verba, præclara illi iam ægro occupatio fuère. Vnde illa legi ſæpiùs, & repeti poſtulabat. Sed & ipſe varia eam in rem ſibi collegerat. Varios ad mortem quàm ſanctiſſimè obeundam ſe præparandi modos iam vni, iam alteri inuiſentium dabat; & legentes audiebat attentus. Sub ceruicali ſacculum habebat, in quo theſauros tales condiderat vltimæ neceſſitati opportunos. Inter alia etiam habebat proteſtationes, & profeſſionem fidei, ſuo ſanguine ſubſcriptam. quam bis repetiuit in morbo, etiam cùm extremam vnctionem, & cereum benedictum acciperet.

Quotidiana extremæ vnctionis imitatio.

Pro defunctis, & pro ſuo felici agone ſæpè ora.

Collige nunc ea, quæ tunc ſeruiant.

Totus

Totus erat in illo apparatu, quo etiam ſe ad dolores calculi, & alios, acuebat, cùm diceret: *Modicum hoc eſt, valdè modicum ad ea, quæ paſſi ſunt tot Sancti.* Noſtris qui aderant, dixit, veluti pro teſſera teſtamenti, Latinè: *Veſtrum eſt ad perfectionem tendere: Mementote vos habere Conſtitutiones Sanctas. Ambulate viam Patrum Societatis noſtræ primorum.* Legi voluit & preces quas in illum temporis articulum deſtinàrat: quas inter illud ſæpiùs: *Gloria tibi, Domine, qui natus es de Virgine!* Multùm ſe recreari aquà luſtrali, Crucifixo item ad pectus & oſculum, teſtabatur. Nec deſunt qui ea quæ ſibi dici legiùe tunc vellent, adnotant ſingula particulatim; prouidenter, & ſanctè prudentes.

4 *P. Thomas Conierus* Anglus, deſiderabat mori cum ſcheda in manu quæ S. Praxedis Virg. nomen haberet. Obiit: 1639.

5 *P. Albertus Fordingh* Noueſij Patrem ſibi animam acturo adfuturum obteſtatus eſt, manu ſuper Euangelium poſità illud ſibi legeret: *Ecce nos reliquimus omnia: & ſecuti ſumus te: quid ergò erit nobis?* Fecit rogata Pater: & Albertus ſemiexanimes oculos erigens, teſtatus eſt quantà ſpei ſuauitate perfunderetur. Ita in mortem elanguit. 1653. Matth. 19.

6 *P. Marcus Cloth* Hildeſij obijt. Collegit in libello ad id deſtinato, cùm in tertia probatione verſaretur, ſibi quædam ſelecta 18. April. 1648.

Gg pro

pro morte. Is libellus illi panarium, armamentarium, et pretioſa pharetra erat ad actus virtutum in morbo, ac morte. Illum ſibi ab amicis ægrum viſentibus lectitari volebat: illo, veluti optimo theſaurorum, ad finem vſq; vitæ vſus feliciter, nobiles pretioſæ ſuæ prouidentiæ fructus tulit.

CAPVT XXIX.

Pretioſa occupatio præparationibus ijs ad mortem vti, quas præmiſiſti ſanus.

1 B. *Franciſcus Borgia*, qui à mortuæ Imperatricis cadauere viuere *Deo* ſeriò didicit, ac poſtea quater et vicies ſe ad mortem quotidie comparabat, quaſi hoc eſſet ſingularum horarum vectigal; à B. V. Lauretana, et *de populo* viaticum pro via mortis petijt in itinere vltimo. Duos qui illi viuenti adhuc ſupererant dies totos holocauſtum eſſe *Deo* optauit; neq; aliquid ſibi ex ijs decerpi à quoquam voluit. Quare Cardinales et Legatos, qui eum frequentes inuiſebant, vt ab officijs illis tempore illo extremo abſtinerent, rogauit. A Greg. XIII. miſſam ſibi benedictionem, et plenam pro morte remiſſionem accepit. Ad hanc mortem ſe parans quotidie, etiam ſanus, bis ſe quotidie pœnitentiæ Sacramento mundabat. Illud ad rem

Dies omnes, vltimi maximè, ſint holocauſtum *Deo*.

præ-

præſentem præcipuum, quòd occidente die duas circiter horas orationi ſe ſe immerſerit, ea repetens animo quæ vnquam bonæ ſuæ morti pararat, quotidianà illa quater et vicies præparatione. 1. Oct. 1571. ætat. 61.

2 Styræ mortem iam ſibi imminentem ſentiens *P. Michaël Vverendel* Græcenſis, poſt crebrò & ardenter iteratas exomologeſes, cùm iam per vires id quod volebat non liceret, deprompτam, quam ipſe ſcripſerat, chartam Confeſſario tradidit: in qua pià ſerie, ad inſtar religioſiſſimi teſtamenti, ſuam erga *Deum* fidem, ſpem, charitatem; erga *Deiparam*, reuerentiam; erga Cælites, obſeruantiam; erga Societatem, ſtudium prolixè & ſanctè conteſtabatur: vt quia ipſe illa omnia dicere iam non poterat, vocis vicem charta in illius articuli neceſſitatem prouidenter conſcripta ſuppleret; ipſo quicquid ſcripſerat, magnis intimæ voluntatis ſignificationibus approbante. Atq; hunc ille ſuæ prouidentiæ fructum cepit in tempore opportuno. Idem fecère conceptis, & ſcripto ſignatis verbis P. Georgius Sigiſmundus, P. Chriſtophorus Schvvartzl, P. Laurentius Chryſogonus, ac plures alij, in exercitijs, & aliàs conceptis verbis teſtamentum condentes, & quæ in morte vellent, præclaro, teneròq; ſcripto teſtati. Gitzinij moriens *P. Ioannes Barthuſsius* libellum arctè complexus eſt, 16. Iunii 1652. 6 Aug. 1654.

Digitized by Google

quem variâ erga *Deum*, & *Deiparam* pietate refertum ipſe conſcripſerat: eo amplexu teſtatus, ſe omnia ea ſupremo in agone velle repetere, ac illis immori, quæ iſtic pretiosè annotârat.

1643. Gallob. 3 *P. Ludouicus Bronart* quotquot Sanctos in menſtrua ſortitione accipiebat, in catalogum referebat: eoſq; omnes, id eſt, ſub finem plus quàm trecentos, quotidie inuocabat; egregium pro die ſupremo adiumentum quotidie accerſitum.

3. Nou. 1630. 4 *P. Guilielmus Eſch* Ingolſtadij decedens prælegi ſibi voluit, quas etiam ſanus valdè amabat, S. Caroli Card. Borromæi Proteſtationes. Alij accenſum cereum quotidie, poſt examen, manu tenent, veluti morituri; et *Aue Maria* meditatè pronunciant.

Cereus veſpertinus.

5 *P. Ludouicus de Ponte* ſuà manu charactere grandiore deſcripſerat S. Ioannis Euangelium: *In Principio erat verbum*: legebatq;, ac ad ceruical ſibi adeſſe illud volebat in lectulo mortuali. Sub ipſam mortis horam petijt ſibi candelam Beatiſſimæ Virginis de Monte Serrato porrigi accenſam: quam ille in auguſto illo Virginis templo ritè benedictam, ſibi pro felici ſupremæ horæ præſidio præparârat. Ita cum illa lucem æternã adijt, è tenebris hiſce egreſſus; Angelis illi morienti adeſſe viſis. vnde cubiculum totum inſtar cęli glorioſum apparuit.

Euang. S. Ioannis.

Cereus B. Virginis.

6. Alij

Digitized by Google

6 Alij Beatiſſimę Virginis imaginem ſibi præpararunt in morte præ oculis collocandam, et familiari aliqua oratione ſalutandam. *Aue Maris Stella, Salue Regina. Aue Regina Cælorum, &c.* Alius elegantem mortis imaginem, ſeu caput, præ oculis habuit ſanus: cui ſubſcripſit: *Singuli PP. dicent duo ſacra, & fratres duas coronas pro anima N.N. anno * menſe * die * defuncti*: vt hac arte mortis memor, ſe præpararet; ac eorũ, quæ pro illis qui extra Prouinciam moriuntur per omnem latè Societatem quothebdomadis ſemel fiunt, quęq; pro illo in Prouincia celebrabuntur, ſacrificiorum ſpe ac memoria ſe ad bonam fiduciam excitaret. *Ludouicus Segurat* religioſus admodùm iuuenis, diuerſas Angelorum Reginæ icones collocari circa mortualem lectulum voluit: vt in quamcunq; partem ſe in ſuprema lucta, et ſpiritu verteret, menti, oculiſq; nulla res alia, præter ſuauiſſimam Matrem, occurreret.

Barry Paradiſi pag. 473. Imagines B.V. circa lectum.

CAPVT XXX.

Pretioſa occupatio in mortis tempus; vſus earum precum quas tibi præparaſti.

1 P. *Franciſcus de Petris*, aiebat, ſe adoleſcentem, vocem *Dei* Matris hæc dicentis audiſſe: *Ingredere, agedum, Filij mei*

Trigaut. exped. ſin. lib. 3. c. 8.

mei Societatem, & in ea vocatioue perſeuera. Cùmq; vultum obuertiſſet, conſpecturus vnde eſſet oraculum, præter *Dei* Parentis effigiem aliud ſe vidiſſe nihil. Hic apud Sinas prædictà ſibi morte, in letali morbo, hymnum magnæ Matri ſacrum (*Aue Maris ſtella*, vel alium) ad alterum lecticæ latus appendi iuſſit; vt illum frequentiùs iteraret.

2 *P. Thomæ Hollandi* Angli iam ſub mortis in fidei Catholicæ odium ab hæreticis inferendæ horà ſtantis hæc erat oratio: *Suſcipe, ò æterne miſericordiarum Pater, qualemcunq; me vides! Suſcipe indignam hanc patientiam meam, & ea, quæ patior: quæ quidem omnia Sanctiſsimæ Vnigeniti tui conſociata paſsioni totà voluntate offero tibi! in vnione & coniunctione omnium eorum, quæ paſſus eſt dulciſsimus Redemptor meus* Ieſus; *vnà cum meritis omnium, qui in lege naturæ, in lege Moyſis, & in lege gratiæ diuinæ Maieſtati tuæ accepti fuerunt, ſunt, & erunt, gratiora, vt ſpero, futura. Ignoſco, ignoſco omnibus. Si tot mihi vitæ forent, quot capiti crines, quot oceano guttæ, quot cælo ſtellæ, quot Cælorum Domino perfectiones, illas ego omnes pro ſempiterna proximorum ſalute libentiſsimè impenderem.* Tum clauſis tantiſper oculis, contritionis actum elicere conatum vero ſimillimum eſſe licet conijcere. Apertos enim mox in Sacerdotem è Societate, ignotum alijs, notum ſibi coniecit; vt ab

Oratio morituri.

Abſolutio ſub ipſum è vita migrandi articulum.

ab eo, prout iam antea in illud ſignum conuenerant, à peccatis abſolueretur, cùm iam in curru, alligato ad collum ferali fune, ſtaret. quo ſtatim ſubducto, erectis ſurſum manibus, porrectis in cælum oculis, vultu non horrido, nullo minùs decente geſtu, immotus animam egit. 22. Dec. 1642. æt. 42. Soc. 19.

3 *P. Henrici Morſæi* iam in curru Anglicano ad mortem ſimillimè glorioſam ſtantis, et morituri hæc fuiſſe vltima ad *Deum* verba referunt, qui adfuère: *Sempiterne* Deus *Pater, Fili, & Spiritus Sancte, humillimè veniam peto delictorum meorum. Etenim grauem me peccatorem agnoſco, qui ſummam bonitatem tuam ex humanà fragilitate plurimùm offenderim, iracundià præſertim, & piæ inter preces attentionis defectu.* Materiam tum nimirùm dabat abſolutionis, de qua cum præſente inter turbam è Societate Patre iam antea conuenerat. *Et ſicut omnibus condono, qui me vnquam offenderunt; ita veniam humiliter ab omnibus peto, quibus ipſe quoquo modo offenſam præbui.* Plura pro Regnis, et Anglia precanti, et vitam pro illis ſuam *Deo* immolanti, ac velatis iam ad mortem oculis, ſublatis in cælum ſupplicibus manibus, dicenti magno ſenſu: In manus tuas Domine, commendo Spiritum meum! pectuſq; percutienti, ab adſtante Patre data abſolutio; et ſimul carrus à carnifice ſubductus eſt. Tum reli-

1. Febr. 1645.

Oratio morituri.

reliqua carnificinæ peracta tragœdia.

4 P. *Petrus Caniſius* è ſcripto à ſe precationum libello eam legit quæ ſic habet: *Domine* Ieſu *Chriſte, vitæ & necis Princeps, cui & viuimus, & morimur, per Sacroſanctam & amariſsimam in Cruce mortem tuam precor, vt aduentus in mea morte tuus me non vti dormientem, imparatum & inertem, ſed vigilantem & frugi ſeruum offendat. Ne permittas, quæſo, me impœnitentem ex hac migrare vita, & improuisà morte præoccupari: ſed moriturum maturè confirmes ac munias Catholicà fide, verà pœnitentià, purà Confeſsione, dignà ſatisfactione, & Sacratiſsimo Eucharistiæ Viatico, Oleiq; Sancti perceptione. Cùm cætera omnia me deſerent, quæ caduca & fluxa in hoc mundo poſsidentur, tu, qui cum Electis tuis perpetuò manes, me non deſeras: præſertim in extremo illo vitæ agone, quando cum infeſtiſsimo ſatana vel maximè luctandum eſt. Aſsiſtant mihi tum in morte Angeli tui; & migraturum aduerſus tentationes omnes protegant: tum in doloribus conſolentur, atq; confirment. Vigeant in me tunc fides, ſpes, charitas, & patientia: in manus tuas me animo præſente commendem, atq; in pace ſancta obdormiam: vt in regnum tuum, quod nobis tanto pretio comparaſti, ſecurè tranſire poſsim. Memento mei, Domine, qui Regnum tuum pœnitenti etiam ſerò latroni promittere, ac pro ſummà clementià tuà donare dignatus es.*

Oratio morituri.

Digitized by Google

tus es. Vnctionis extremæ tempore in Beatiſſimæ Matris imaginem totis oculis defixus hæſit. 21. Dec. 1597. æt. 77.

5 P. *Didacus Martinez* poſt Pſalmos, & ſcriptam à Ioanne Chriſti paſſi hiſtoriam, ad illa Pſalmi verba: *Gratiam, & gloriam dabit Dominus*; aiebat: *Gratiam* iam ſibi ab indulgentiſſimo *Deo* pridem datam; *Gloriam* verò in propinquo eſſe Dominum, vt det. Duo enim ſibi à *Deo* regna oſtendi in illo vitæ mortiſq; confinio; virtutis regnum, & gloriæ. ac propter benè adminiſtratum virtutis Regnum, iam iam ſibi in propinquo eſſe adeundum regnum gloriæ omnium ſeculorum. Atq; hæc ſibi à *Deo* dicta, & explicata in illis verbis: *Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas; & oſtendit illi Regnum Dei*. Dixit; & quaſi viuendi munere iam functus, ſublimes in cælum oculos ſuſtulit; ac pretioſam, & migrantem animam Regno æterno addixit: odore ſuauiſſimo afflari ſe ſentientibus ijs, qui aderant: odorē illo ab illis etiam, qui conclaue illud præteribant percepto, diuq; in pannis, & in ijs, quæ Pater contigerat permanente. *Deſidero te, Domine*, aiebat idem totis viribus, *amare ardentiſsimè, ſicut te amant omnes Sancti; ſicut te amant Angeli; ſicut te amant Martyres; ſicut te amant S. Agatha, S. Agnes, S. Catharina: &, ſi mihi licet, deſidero amare te, ſicut te amat Beatiſsima Virgo; & ſi mihi licet,* 2. April. 1626. Regnum gratiæ, & gloriæ. Actus amoris Dei.

deſidero amare te, ſicut te amat anima ſanctiſſima Vnigeniti Filij tui.

6 Has ægro, vel alias hiſce ſimiles, in vſu habere licebit. *B.* certè *Stanislaus* humi iacens poſt accepta diuina myſteria quantò breuior vſura vitæ reſtabat, tantò eam occupabat intentiùs, multas precationes ab Sanctis viris compoſitas, ei tempori accomodas, vltrò executus.

Hiſt. Soc. 1568. n. 96.

7 P. *Claudius Campobonus* ſupremà ferè vitæ horà, illam, quæ de geſtis Chriſti in Monte Olíueti eſt, S. P. Ignatij meditationem ſibi legi petijt. Deinde pretioſum patientis & morientis *Ieſu* Roſarium cum ſocio recitauit.

13. Iunij 1627. Flexiæ. Lecta meditatio de Chriſti agone. Roſarium *Ieſu*.

8 P. *Antonius Sucquet* Belga, vt ſe ad mortem compararet, *Teſtamentum* ſibi conſcripſit. Suadet vt illud in tentatione, oratione, omni negotio præ oculis habeas, & ad oratorium, ad lectum, ad ſacrum, imò & ad ſepulchrum, tecum feras; rogatis amicis, vt mortuus cùm fueris, tuis manibus inſeratur, & in vita vt quotmenſibus legatur. Quia verò, quæ ſcripſit, ijs ipſe vſus eſt, excerpo ex illo quædam perpaucis. Sic ergò habet: Quoties in omni vità, nomen tuum, ò *Ieſu*, pronunciabo; eà intentione ex nunc id facere volo, veluti extremo illo vitæ meæ momento, à quo in ictu oculi, paſſu vno tranſibo à tempore in æternitatem; Volo amare te, omniumq; Sanctorum æternitates depoſco,

Impreſs. Antuerp. 1625.

Obiit Pariſiis. 19. Febr. 1626. Pactio pro articulo mortis.

ſco, & laudes, eaſq; tibi repræſento ſinceriſſimo amore. Amore feror, & ferar ad te finem, & centrum meum, cum omni affectu militantis & triumphantis Eccleſiæ, quiq; vllius creaturæ eſſe poteſt. Quòd ſi poſſem omnes arenas, atomos, guttas, in choros & Cælos te laudantium conuertere, facerem certè: & quamuis nihil eſſe deberem, vt tu eſſes, vellem. Actus amoris *Dei* pronunciato *Ieſu* nomine comprehenſus. Per deſideria explicatus.

Præteritos dies, horas, et momenta cuperem pro maxima gloria tua impenſa eſſe, et ſeruijſſe me tibi in corde perfecto.

Omnia, quæ ago, cupio, gratià tuà fretus, ea facere cum omni deſiderio, et amore triumphantis et militantis Eccleſiæ, in vnione amoris tui, ò amantiſſime *Ieſu*! et tui, ò dulciſſima *Maria*, Mater mea, et veſtri, ò Patroni mei N. N. et omnes Sancti *Dei*. Quæ agis & pateris cum omnibus Chriſti, & electorum meritis coniungenda.

Vtinam, vtinam vniuerſo vitæ meæ tempore laudaſſem te, et gratias egiſſem! Laudate obſecro pro me Dominum ò vos Beati Spiritus, et Sancti omnes. Dulciſſima Mater, rogo te, vt pro ingrato ſeruulo tuo gratias agas Patri miſericordiarum, et Filio tuo in æternum. Ne verò contingat me corpore exutum morari, donec ſatisfaciam tibi, *Deus*, indulgentias omnes lucrari opto quaſcunq; poſſum operibus meis. Peto verò à vobis omnibus amicis, et notis, vt mox atq; me mortuum audierint, ijſdem piè me iuuare Compenſatio temporis perditi. Indulgentiis perquiſitè vtendum.

Optandum nihil eorum omittere omninò, quæ proſint.

dignentur. *Deus* meus,eſtne quod vltra poſſim? ſcilicet vt æternos luctus ac tormenta, ignem deuorantem,et ardores ſempiternos,et mortem euadam ſempiternam? Eſtne vltra, quod facere poſſum! per gratiam tuam volo. Et poſt plura ſic ſubſcripſit: Hæc ſignaui manu propriâ, gratiâ *Dei* mei,teſte ipſo, & curiâ illius; & ſigno,ſi ei placet, morte; vt æternùm illi viuam. Anno * menſe * die * horâ *. N.N. Adiecit orationem pro felici morte; iaculatorias, & epiſtolam ad amicum pro memoriali mortis: Tum epiſtolam paræneticam exprimentem ſenſum veri Religioſi, ac ſtudioſi pietatis in morte ad Socios, tanquam ſcriptam è lectulo mortuali.

Libellus ſupplex pro ſe mortuo.

Deniq; quaſi ſupplicem libellum pro ſe ſcripſit, ſe mortuo alijs porrigendum. Ego N.N. vixi ab anno * viuere deſij anno * Menſe * die * abij, lector, quò tu properas. Audi, obſecro, & miſerere fratris, & membri Chriſti *Ieſu*, & Sponſæ eius animæ meæ. Paruo potes, & nummo potes, & verbo eripere me ab igne deuorante,ab exilio liberare,regnum mihi dare, & ſimul tibi emere. Et morari te quidpiam poteſt? Rogo te itaq;, ſi qua conſolatio in Chriſto, ſi quod ſolatium charitatis,ſi qua Societas Spiritus; imple gaudium,& deſiderium meum. Ita fiet tibi,ita remetietur à me, & *Deo* tibi. Amen.

Rogandi, etiam ſcripto, amici vt te mortuum iuuent.

9 *P. Auguſtinus Canus* ad Crucifixum

dixit

dixit ſæpiùs: *Rex tremendæ Maieſtatis, Qui ſaluandos ſaluas gratis, Salua me, fons pietatis*. Tum nomina Cælitum Patronorum è libello ad id à ſe conſcripto ſibi legi petijt, eos ſupremùm rogans vt ſibi volentes, benigniq; adeſſent. Libellus pro morte conſcriptus.

10 *M. Ladislaus Czaplinski* iam ad mortem omni apparatione inſtructus popoſcit libellum in quo ſibi varia pietatis officia annotarat: & illum legens, identidem ingeminare auditus eſt hæc verba ſimplici & candido & loquendi & ſentiendi modo: *O ſi me, omneſq; animi & corporis mei vires diſtillare poſſem vel in vnam guttulam guſtus & beneplaciti Maieſtatis diuinæ!* Pragæ moriens *P. Iacobus Ignatius* petijt ſibi legi eas quas iaculatorias dicimus orationes, eo à ſe fine iam pridem collectas, vt illas inter moriendum audiret, raras planè, ac tempori ſupremo prorſus idoneas.

18. Aug. *1639.* æt 23 Caliſſi.

1654. 6. Aug.

CAPVT XXXI.

Pretioſa ægri occupatio Prouidentia contra tentationes.

1 IPſo Viſitantis Virginis *Deiparæ* die (id eſt biduo ante mortem *P. Aegidij Angli*, qui Magiſtri Nouitiorum Socius fuit) vt refert hiſt. Soc. Pragæ Collegij coquus,

1571. 2 Iul. 4. Iul. n. *61.*

Digitized by Google

quus, religioſà ſimplicitate ac pietate inſignis, Viſitantis *Deiparæ* feſto diei congruens orationis argumentum dum piè meditaretur, vidit locum ſplendore cæleſti perfuſum, et in illa luce Chriſtum, qui Aegidium dextro brachio ſuſtinebat. Et verò illam Chriſti dextro omninò brachio ſe ſuſtinentis opem expertus eſt Aegidius; quando cruentam illam beſtiam, quam S. Martinus moriens abegit, et ipſe vidit; ſed *Dei* benignitate victor. Quò verò propiùs accedebat hora exuendæ mortalitatis, inquit hiſtoricus, eò Aegidius exultabat magis, ac geſtiebat. Nil eius ex ore audiebatur, niſi; *venite, exultemus Domino: Exultate, iuſti, in Domino: Exultabunt Sancti in gloria*. Ita victor ille ſpiritus cum Maria in *Deo* ſalutari ſuo exultans corpus deſeruit non inuitus.

Chriſtus ægrũ dextro brachio ſuſtentat.

28. Oct. 1621.

2 Cæſarauguſtæ diſcedens è mortalium numero P. *Hieronymus Pomar* præclarum contra tentationes quaſi amuletum habuit frequentes et ardentes quoſdam actus coniungendi voluntatem ſuam voluntati *Dei*; ac alios qui ſchedæ inſcripti, et collo illius, reliquiarum inſtar, appenſi reperti ſunt ſub illius mortem Hiſpanicè in hæc verba, in hunc planè ſenſum. *Deus meus! voluntas mea tua eſt in toto & per totum, nunc, & ſemper, & in omnibus inſtantibus vita mea. Atq; ita quod tu vis à me, volo ego; quod non vis, nolo: non conſentio*

Actus ſelectiores deſcripti, & collo appenſi. Velle quod vult Deus. Amuletum contra tentationes.

ſentio cogitationi malæ vlli, quæcunq; demum illa ſit, &c. O mi Deus, *adiuua me in hoc ſancto propoſito. Moriar ego millies, & mille fulmina me occidant, antequam ego te offendam, etiam venialiter. Et in ſingulis ac omnibus tentationibus, me remitto & attendo ad hoc ſcriptum: nec volo conſentire vlli rei contra tuam voluntatem. Hieronymus Pomar.*

3 Mortuus eſt Duaci *P. Philippus Corbault* nouis ſemper modis ad Beatiſſimæ Virginis cultum latè in adoleſcentibus propagandum pijſſimè ingenioſus. Viſus eſt paucis ante mortem horis tentatione quapiam (fortè inanis gloriæ) obiectâ pugnantis inſtar ſtrenuus. vnde hæc tunc ex eius ore audita: *Deus meus, nunquam te deſeram! Sanctiſsima* Maria, *ſemper te diligam!* Tum altâ voce ad quempiam quaſi præſentem dixit: Licèt tu, et omnes dæmones velint, nunquam faciam etiamſi eſſem in inferno: *Dirigo omnes actiones meas ad maiorem* Dei *gloriam.* 24. Sept. 1622. Contra tentationes.

4 *Claudio Voley* Coadiutori Camberij inclinante iam vitâ adfuit magna dæmonum caterua, truci horrendoq; aſpectu, vt ad S. quondam Antonium, leonum, vrſorum, taurorum, draconumq; portentoſis formis ægrum territura; quibus voces congruæ reſpondebant ad deturbandum de ſpei arce Claudium. At ille inter pugnam Cælites auxiliares acceſſere, coniunctiſq; viribus tortoris Annuæ 1610.

toris conatus retundere. Cùm autē ſe ab illo metu tantillum reuocaſſet, ſpectandum ſe obtulit athletæ ſuo cæleſtis agonotheta, veluti clauis Cruci affixus; et illum ſermone dignatus, pauentem erexit; pollicituſq; eſt ad extremas vitæ metas (ne diffideret) affuturum.

Solatium à Crucifixo.

5 *P. Mutius Cæſarinus* vltimùm æger graui longàq; luctà cum aduerſario dæmone colluctatus, *Deo* victoriam gratulaturus, palmam ſibi afferri petijt, et dixit: *Vicimus! vicimus!* Ita triumphalem mortem ſpe dulci plenus oppetijt.

6 Demus nunc operam vt *Ieſum*, et *Mariam* cum Sanctis propitios in agone illo agonothetas habeamus, cùm noſtræ nobis vires non niſi ad ruinam ſufficiant. Rogemus, vt in nobis *Ieſus*, et *Maria* ſuas coronent victorias. *M. Gabrieli Bayle* morti proximo oblata eſt *Deipara* Cælitum frequentiſſimo ſepta comitatu: ac deinde Chriſtus ipſe, manibus texens corollam.

Annuæ Gerundenſ. 1614. B. V. cum choro Sanctorum Chriſtus corollam texens.

7 Quo die *Antonius Fauſtinus* Coadiutor, fuit ſepulturæ mandandus, aduenit energumena, cuius ore nequam ſpiritus cum magno ſtridore exclamabat, indignatus homuncionem verrendis templis deſtinatum, illuc tandem perueniſſe, vnde ipſe in perpetuum fuiſſet deturbatus. illudq; addebat; ſe ab eo torqueri, cogiq; dimittere quoſdam è ſocijs ſuis.

Annuæ Nouellar. 1608.

ſuis. Interrogarunt quidam, quid ita perſtreperet in obitu eius hominis, cùm plurimis alijs vità functis, qui vità nihilominus probatà extiſſent, nihil omninò dixiſſet? quia, reſpondit, ita *Deus* iubet, qui me per hunc hominem, non per illos torquet, vultq; conſtare apud homines hunc iam cæleſti gloria potiri. Interrogauit alius: quiſnam præcipuè ex Beatorum choro aſtitiſſet, opemq; tuliſſet animam exhalaturo? *Beatam Virginem*, reſpondit, & *Ignatium Societatis Autorem*: *Angelum* præterea eius Cuſtodiæ deſtinatum ita, poſtremis illis temporibus aſtitiſſe, vt non ſit paſſus eum vlla in re à quoquam ex tentatoribus ſpiritibus agitari.

B. V. & S. P. Ign. morientem iuuant. Item Angelus Cuſtos.

8 Neceſſarium cumprimis eſt ægro, vt Confeſſarium, & illius, ac ſuum Angelum Cuſtodem roget, vt opportuna ſuggerant in illo articulo in medium afferenda. *P. Carolus Garnier*, in odium fidei in Indijs Gallicis internectus, ſolebat eorum, quos ad mortem diſponebat Cuſtodes Angelos inuocare. Viſus illi eſt adeſſe Angelus aliquando cùm ægro adſtaret morti iam proximo. Vnde; vidi, aiebat æger ille, illuſtrem iuuenem lateris P. Caroli ſtipatorem. Hic mihi hortator fuit, vt P. Caroli monitis obedienter parerem, atq; illius ductu proficere impensè conniterer.

25. Maii 1649.

Angeli Cuſtodes ægri, & confeſſarij.

9 Amore *Dei* omnia mortis pericula peruincentur. Eliciendi frequenter amoris

Digitized by Google

Dei actus. Ita *P. Balthaſar Aluarez* ſub vitæ finem dicebat; *religioſas domos videri ſibi noſocomia diuinà charitate vulneratorum: fornaces item, in quibus innumerabilibus* Dei *donis, quaſi ſubditis ignibus, corda quantumuis lapidea, amore ſoluerentur.* Sic vulnerato dæmon vulnus nouum non poteſt imponere.

Rho exempl. l. 1. c. 1, n. 15.

10 *P. Petrus Ant. Spinellus* ſupremo apud *Deum* contra dæmones præſidio Beatam Virginem & Angelos pro extrema hora delegit, eamq; horam totam illius & illorum memoriâ occupauit: per ſemihoram cum Beatiſſima Virgine egit negotium felicis migrationis ad æternitatem; illud identidem ingeminare auditus: *O Domina mea, quæ docuiſti me à iuuentute mea; vſq; in ſenectam, & ſenium ne derelinquas me.* Ad Angelos: *Laudate Dominum, omnes virtutes eius: Laudate eum, omnes Angeli eius. Subuenite, Angeli Dei.* & obijt.

Romæ 14. Dec. 1615.

11 *P. Petrus Maturus* Gallus contra omnia quæ in morte aduerſa poſſunt accidere, habuit pro aſylo cultum *SSS. Trinitatis*. de illo ſic Alegambe: Neſcio quà mentis teneritudine colliqueſcebat totus, cùm *SSS. Trinitatis* Myſterium recolebat (recolebat autem ſæpiſſimè, maximè ſub diei exortum) vix vt vllus domi eſſet, cuius non aliquando pietatem ea in ſene pietas excitarit. In eiuſdem Sacroſanctæ Triadis honorem, Symbolum quotidie D. Athanaſij magno permotæ mentis

Biblioth. Script.

Pietas erga SSS. Trinit.

tis ſenſu decurrebat: affirmabatq; eò *ſibi mortem placidiorem aduentare, quòd ab ea in Sanctiſsimæ Trinitatis Domo* (id enim Lugdunenſi Collegio nomen eſt) *occuparetur*.

12 Contra mortis turbamenta *Roberto Cardinali noſtro Bellarmino* fuit Crucifixus capiti, & poſtea pectori inter amplexus impoſitus: *Credo*, *Miſerere*, *Pater noſter*, *Aue Maria*, *& Ieſus Maria* frequentiſſimè iterata. Poſſet etiam ad Sancti alicuius corpus aut reliquias, vel ad B. V. ſacellum aut celebrem imaginem mitti quiſpiam ex amicis ad id propenſis, ad opem amico laboranti enixiùs flagitandam. *P. Petrus le Brun* admirabilis per ipſos 50. annos abſq; vllo leuamento patientiæ vir, hæc tantùm verba; *O mi Deus*! habebat pro dolorum condimento. Mentuebat verò ne tentator dæmon, & dolores tanti verbum aliquod amatore Crucis indignum inter ſuprema vel inuito exprimerent. Quocirca duos è Societate rogauit, vt petendi pro eo articulo ſupremi auxilij cauſa, ad 4. ferè leucas celebre Beatiſs. V. ſacellum inuiſerēt. Abiere, ac rediere duo illi voto potiti feliciter. Nam fuſis ad B. V. precibus continuò remiſit calculi, ſeu octo calculorum qui in illo poſtea reperti ſunt, dolor: & ille piè, placidèq; deceſſit.

Virduni 19. Febr. 1656.

13 P. Vincentius Caraffa in itinerario ad alteram vitam ſuggerit, vt *benedictam*

Digitized by Google

palmam habeat æger in manibus, vel ad lectum. hoc enim ait eſſe reipsà à *Deo* victoriam petere contra inimicos, & triumphum in cælo. Si palma non adſit, valebit etiam oliuæ ramus benedictus: vt requieſcas à bello victor in æternà pace.

14 Iuuat contra tentationes cælum totum, Sanctorumq; choros ſingulos obire; auxilium petere; actibus doloris, et amoris *Dei* occupatum eſſe; quempiam meditatè illa legentem audire quæ ſunt in commendatione animæ; ſæpè in vita ſacrificia pro felici agone curare, item pro defunctis, vt ope ſuà morientibus nobis aſſiſtant; deniq; SS. Synaxi ſæpè refici; et, ſi per morbum licet, quotidie.

CAPVT XXXII.

Aegri pretioſæ occupationes variæ aliorum præparationes.

31. Febr. 1620. Nouellariæ: Præparent nos ad mortem dolores donati animabus purgatorii: Et exercitia 26. Aug. 1649.

1 IOſephus Braccus Coad. ſingulis horis aliquid pro animabus purg. orabat: morbi ſui dolores omnes donauit ijſdem: vt ab illis moriens iuuaretur. *P. Martinus Stredonius* Brunæ Præpoſiti Prouincialis munere, et vità, defunctus eſt. Vnum menſem ad obeunda S.P.N. exercitia petebat, pro præparatione ad mortem.

2 Alterum præparationis adiumentum illi

illi fuere preces, lectio, colloquia de gloria cæleſti.

3 Singulis noctibus per quinq; vltimos vitæ ſuæ annos è lecto ſe ſe ad B.V.imaginem conferebat. Ibi per B. V. pro felici morte ſupplex abiectus in genua, ſe in eo ſtatu collocabat, iuxta S.P.Ignatij conſilium, in quo ij eſſe ſolent qui vltimo vitam inter mortemq; ſingultu migrantem iam animam trahunt, et iacent ad fores æternitatis infinitæ: *Rex meus*, aiebat, *&* Deus *meus! Dona mihi animam meam, pro qua oro; & beatam ex hac vita migrationem, pro quà obſecro*.

Coram B. V. ſe ſiſtere, tanquam ſi ſis in agone.

4 Quatuordecim ſui morbi diebus offerebat quidquid ſibi non ſapere aduertebat, ad dandum *Deo* guſtum, quod aiunt, ſeu ad delectandum *Deum*! peccata, morbum, vt peccati ſtipendium mortem ipſam, ſacrificabat *Deo* ad exhibendam plenam diuinæ illius iuſtitiæ ſatisfactionem. Pro doloribus gratus, ac lætus gratias agebat.

Sacrificare *Deo* quæ agis, quæ pateris.

5 Altero morbi die, ſancto migrantium viatico munitus, nullum poſtea diem ſine illo epulo duxit. Sacro Miſſæ officio etiam quotidie audito, vel totum officium, vel aliquam eius partem religioſiſſimè recitabat. Meditationes, Litanias Cælitum omnium, æquè ac ſanus fecerat, habuit quotidianas.

Quotidiana communio.

6 Pro Spirituali lectione quotidie ſibi legi voluit aliquid de Imitatione Chriſti, & è

Lectio ſelecta.

pijs

pijs Hagiophilæ affectibus, quos ille tenerè ruminabat.

Aliorum preces petitę.

7 Omnium ſe precibus enixè voluit commendari: id quod etiam per pulpita factum à Concionatoribus.

Hymni de Chriſti paſsione.

8 Ad Chriſti Crucifixi effigiem conſuetis S. Bernardi Rhythmis ad ſingula Chriſti membra pronunciandis prolixà exundantis animi ſuauitate horam pulcherrimam pretiosè impendit.

Iaculatoriae ſelectae.

9 Iaculatoriæ admirabiles. Humi in lectulo ſtratus, in horas propè ſingulas agebat gratias,cōceptis ad interpretes cordis ſenſus verbis, pro beneficio nobilis creationis, pretioſę redemptionis,& ſanctæ vocationis.Orabat centies, per amariſſimas morientis dulciſſimi *Ieſu* amaritudines,vt illæ amaritudines, mortis ſuæ omnia amariſſima dulcorarent. Maximæ miſericordiarum Matri, & per hanc miſericordiarum æterno Patri,ſuum hinc exitum commendabat.

Caelites inuitandi.

10 Inuitabat ad agonem ſuum felices Angelos, & Ignatium Parentem optimum, ac primos illos decem Societatis naſcentis primores; vt agoni ſuo auxiliares adeſſent. Gratiam in hac vita, gratiam conſummatam flagitabat, & in æternitate viſionem *Dei* beatam.

Deo gratias.

11 Extremam Vnctionem ſæpiùs petijt: atq; vbi demùm impetrauit, feſsà iam & fra-

ctà vo-

Digitized by Google

ctà voce *Deo* gratias pro Matre Eccleſia & Societate egit: vtpote qui ab illà vaſis miſericordiæ,Sacramentis,fuiſſet munitus;ab hac, ſinu amantiſſimo ſemper & vbiq; portatus. Fides. Vocatio.

12 Dictauit Socio ſchedam verbis valdè pręgnantibus,& ſenſu magno;ex quà ſe mortuo, venia pro erratis palàm in triclinio peteretur. Venia petenda.

13 24. Auguſti veſperi vbi ſe iam mortis frigore occupari aduertit, cereum accenſum accepit; animæ commendationi recitatæ piè reſpondit; preces à domeſticis pro ſe in templo,et Sacello fieri poſtulauit,idq; ardenter,et amanter maximè tunc fieri petijt cùm iam vltimùm ſingultientem viſuri eſſent. id quod cumulatè præſtitum. Cereus accenſus etiam ante extremum agonem.

14 Vltimis quinq; vitæ ſuæ horis, in ſingultiente illo mortis vicinæ ſilentio, ſigna, de quibus ante quid indicatura eſſent, conuenerat, edebat; quibus abſolutionem, indulgentias, pias aſpirationes legi petebat; et impetrabat, ita vt ante prouiderat. Conueniendum de ſignis pro abſolutione.

15 Incipiente 26. die Auguſti, poſt mediam noctem inter vltimos mortis anhelitus facie deſiderio anhelante, erexit caput, manuum alterà cereum,alterà Coronam B.V.tenens, et vtramq; decuſſatam demiſit in pectus, obuerſus Cruci, quaſi illi obuiaret cum Andrea:& iuit obuius bono *Ieſu* in amplexus æternos. Cereus; Crucifixus corona B.V. in manu.

16. Inter

16 Inter varias ad mortem ſanctè obeundam præparationes referri etiam poteſt *Petri Carilli* præparatio. Is è Magiſtro et Philoſopho, Coadiutor vt eſſet, impetrauit: de Chriſto paſſo, et B. V. libentiſſimè, nec vnquam ferè ſine lachrymis, audiebat. Pro præparatione ad mortem, ſe cingebat ferreo cilicio; quotidianà, eaq; geminà, verberatione, vnâ, eaq; præparca potiùs quàm frugili, comeſtione contentus. Oratione præmiſsâ futura prædixit, euentu ſecuto. Moriturus, vltimis connifus viribus, è lecto ſe collegit humi in genua: erexit brachia orantis geſtu, et inſtar S. Pauli primi Eremitæ morientis expandit, orauit, et felix anima mentem in *Deum* eleuatam etiam ipſa felici migratione ſecuta, cadauer in ſitu illo flectentis, et elatis apertiſq;, quaſi ad *Dei* ac æternitatis amplexum, brachijs reliquit, ab Infirmario euigilante, alijſq; ſic repertum. *P. Ludouicus Thuardus* ſæpè repetens inter dolores illud: *Deus meus, & omnia*; à quotquot Patribus viſitabatur non priùs illos abire patiebatur, quàm benedictione à ſingulis impetrata; pro apparatione felici ad mortem.

Orans moritur 4. Iulii 1615. Annuae Oropeſanae.

8. Febr. 1615.

17 *P. Stanislaus Noſarzeuuski* Orſæ obijt. Reperta eſt poſt eius mortem in menſa cubiculi charta, quam ille tremulà manu in hæc verba conſcripſerat: 1. Ego N. doleo intimè de peccatis meis; non ob infernum

9. Sept. 1645.

meri-

meritum, ſed quia offendi, *Deus*, te bonum in te. & offero me etiam ad pœnas inferni. 2. Gratias tibi ago pro omnibus beneficijs, etiam pro hoc permiſſo morbo, cuius cauſa ſum. 3. Dolores meos præteritos, & modernos, & omnia tædia, vnio cum Paſſione tuà, benigniſſime *Ieſu*; illaq; offero ad gloriam tuam, ac ſatisfactionem. 4. Da mihi gratiam vt poſſim vitare peccata; & hos ferre dolores. 5. Beatiſſima Virgo, & omnes Sancti, intercedite pro me.

Actus ſeleċtiſſimos in chartam pro morte referre.

18 P. *Hieronymus Prado* Romæ decedens cùm lætus mortis nuncium accepiſſet, manuſq; attentiùs contemplaretur, cauſam rogatus; contemplor, inquit, quas olim iterùm videbo: *Et in carne mea videbo* Deum *Saluatorem meum*.

1595.

Actus fidei renouandi.

19 Nobilis pro morte apparationis inſtar habuit *P. Iacobus Granadus*, Examen particulare facere, ac notare vſq; ad extremum diem, quò nullus illi dies tranſiret ſine lineà, ſiue ſinè puncto, vſq; mortem quæ eſt vltima linea rerum. *P. Andreas Sednik* in lineis examinis particularis puncta etiam ſupremis vitæ diebus tremulà iam manu notabat.

Examen particulare.

Turocii 22. April. 1655.

20 P. Vincentius Carrafa ſuggerit pro apparatione id quod hunc ferè in modum exerceri poteſt: *Rogo te, Domine* Ieſu, *per merita Sanctiſsimæ Matris tuæ, vt me facias dignum, ſi non eà morte quà Martyr fidei moriar,*

Cap. 7. Itinerarii.

certè morte, quà martyr (ſic loquitur) moriar charitatis; creſcente in me vſq; adeò diuini tui amoris incendio ac deſiderio te videndi, vt hac ipſa de cauſa anima mea à corpore ſeparetur, vt Deo *vniatur.* Sæpè repetendum illud à S.Brigitta de quodam moriente relatum; *Deſidero, deſidero, deſidero! O deſiderium meum, veni!*

Deſiderium videndi *Deum* ſæpè renouandum.

Ibid. pag. 73.

21 Idem P. Carrafa; petiuerunt, inquit, aliqui moribundi, quis actus tunc debeat fieri; & quid ſit optimum factu in vltimà illà quiete, ac tranſitu, ſeu expiratione. Reſpondeo: Mihi optimum videri expirare cum intenſo actu deſiderij videndi *Deum*. Et hæc eſt mors Sanctorum, expirare amando, amare expirando; expirare deſiderando videre *Deum*, & deſiderare expirando; expirare cantando laudes diuinas, & cantare expirando. Adhæc optimum eſt vti oratione Chriſti: *In manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum.* Sæpè ingeminando *Ieſus, Maria! Ioann. Nandoillettus* moriens SS. *Ieſu* nomen pro vltimo apparatu quinquagies repetijt: ibi omnium compendium eſſe ratus.

Quid optimum factù in fine vitæ.

Dolæ 1601.

Saſsari 27. Martii 1624. Nieremb t.4. p.27.

22 *P.Saluator Pizqueda* quotidie in morbo exomologeſi, & S.Synaxi munitus de cæleſtium ordinum choris libenter loquebatur. quiſquis eſſet à quo inuiſeretur, aliquid ſibi legi petebat, interea ſeſe diuinis inflammans. Extremùm vngendus, valdè tenerè dixit: *Gloria Patri Domino, gloria Vnigenito, vnà*

Lectio ſpirit.

cum

cum S. Spiritu in ſempiterna ſecula. Vides malum quod geſſimus, occulta noſtra pandimus; preces gementes fundimus. Dimitte quod peccauimus. Pater ſuperni luminis, Cùm Magdalenam reſpicis, flammas amoris excitas, geluq; ſoluis pectoris. O vera Chriſti charitas! Tu noſtra purga crimina. Tu corda reple gratià: Tu redde cæli præmia. Parce, Domine, parce quòd te oculis meis offenderim, &c. ita de ſenſibus reliquis, vbiq; pijſſimè lachrymatus. Mox: *Ieſu, dulce refugium, ſpes vna confitentium. Pia Mater, & humilis, naturæ memor fragilis in huius horæ fluctibus nos rege tuis precibus.* Deinde, receptà formulà, ſuam, vt dicimus, culpam dixit: & commendationem animæ quotidie veſperi coram ſe recitari voluit. Cùm ſitiret, ſitim *Deo* in ſacrificium obtulit pro ſiti Chriſti Crucifixi. Sanctos omnes, quos à 52. annis & 6. menſibus in Societate actis in Litanias collegerat, ſibi legi petijt: item Sanctos eius diei quo Societatem ingreſſus eſt; item eius quo in ea vota religioſa nuncupauit; item quo primum *Deo* ſacrificium Sacerdos obtulit; item quo 4. vota profeſſus eſt. Cuidam; *Dici non poteſt*, inquit, *mi frater, quid anxietatis ſit in morte. Simus Sancti; reliquum quicquid eſt, horror eſt.* Inde apoſtrophe teneriore animam ſuam allocutus: *Egredere foras*, aiebat, *anima mea, egredere! Euellere iam! ne differas. reuertere ad*

Iaculat.

Sacrificium ſitis.

Litaniæ Sanctorum menſis.

Deum *tuum*. *Hà Ieſus-Maria*! *Hà Ieſus-Ma-*
Ec. 72. *ria*! *Ieſus cordis mei.* Dixit: & inclinato capite, paulò poſt, nil deinceps locutus, diem ſupremum expleuit.

1651. 17. Iunii Romæ. 23 De P. *Franciſci Piccolominei* S.I. Præpoſiti Generalis morte medicorum nonnemo affirmauit; optandum eſſe, vt omnes ad mortem viri iſtius conuenirent ad condiſcendam ab illo artem benè ſanctèq; in ſummis cruciatibus moriendi. Sæpiùs quotidie peccata confeſſus eſt, ad gratię diuinę cumulum exaugendum. Quicquid Theologicæ virtutes, quicquid omnis pretioſè moriendi apparatio ſuggerit, abundè, meditatè, ſolidè, ac tenerè per ſolidos ipſos 14. dies executus eſt. vir de quo luculentum confeſſarij teſtimonium extat; quòd *Deum* nullo vnquam letali peccato offenderit. Et tamen dicebat: *Non dubito quidem de diuina miſericordia. Abſit! Hoc non! Hoc nunquam in æternum. Tamen timeo peccata mea, & Iudicem illum iuſtiſſimum.* Viaticum in medio cubiculi genibus nixus accepit; quotidie S. Synaxi poſtea recreatus. Manè poſt acerbiſſimos noctis cuiuſdam dolores lætà, & velut in cantum flexà voce, cùm ſe à nemine audiri putaret, diutulè tria hæc repetebat alto ſenſu: *Amor! Amor! Amor! Deus! Deus! Deus! Aeternitas! Aeternitas! Aeternitas!* Abrumpo reliqua: & reſeruo alij loco, ac tempori.

CAPVT

CAPVT XXXIII.

Cùm iam finis vitæ imminere videtur quid agendum. vbi etiam B. Aloyſij mors in puncta digeſta.

1 FElicem illam mortem dixit Boëthius *quæ ſe dulcibus annis non inſerit*. Sed B. Aloyſij, adoleſcentis licèt, mors, etiam in ætate annorum longè dulciſſimà, feliciſſima fuit. Ille itaq; vno & ampliùs ante felicem hinc migrationem anno intellexit in oratione matutinà Mediolani ſuggerentem ſibi *Deum*, vt ſe ad mortem ardentiùs hoc demùm anno componeret. Iam enim vltima ſibi tempora inſtare; nec annos victurum. Mediolano Romam redux, pro primo ad mortem inſtantem apparatu, ſe ſcriptis planè ſpoliauit, & quidquid aſceticorum, quicquid Theologicorum in Sanctum Thomam, etiam quæ ipſe ſuo ingenio deprompſerat, ſcriptorum habuit, ad Collegij Rectorem detulit; eò ad oppetendam mortem expeditus magis. *Prima* ergò, & remota ad mortem ſe à longe oſtendentem apparatio fuit *nuditas paupertatis*, in deponendis etiam minimis, quibus affici videbatur. Secunda fuit, *moriendi deſiderium*. Moriente quodam è fratribus, qui tabem è Noſocomio inter miniſtrandum contraxerat, ſuſpirans Aloyſius, Patri cuidam; O quàm lubens, inquit,

Lib. 1. de conſol. metro. 1.

Viuendum tanquam hic annus ſit annus præparationis ad mortem.

Paupertas.

Deſiderium moriendi.

Digitized by Google

inquit, cum fratre Tiberio commutarem, ſi me hac *Deus* gratià dignaretur! Quia nunc indicia quædam ſuppetunt, quibus me *Dei* gratià prædịtum eſſe confidam; incertus, qualis poſthac ſim futurus.

Opera miſericordiæ, charitatis, humilitatis.

3 Obtinuit, vt & ipſe lue communi oppreſſis ægris in noſocomio ſeruiret. Seruiebat verò ijs, qui omnium teterrimi & horridiores erant, morbo, pædore, &c. quidquid ad corporis & Spiritus ſolatium pertinebat, faciebat Aloyſius vnà cum Socijs, totus in illorum obſequia effuſus. Et verò humilitatis, & charitatis actus obedientiæ ductu ſuſcepti pulchra ad mortem præparatio ſunt, communi iam illo S. Hieronymi prouerbio, qui aiebat; ſe non vidiſſe malà morte mortuum, qui libenter opera charitatis exercuit.

In morbo ſe gerere, tanquam eſset vltimus.

4 Martij tertio die, morbo iam vires ſuperante, decubuit Aloyſius, & ipſe malo illo contactus. Morbum lætus, & quaſi poſtremum accepit, ſeq; in illo ita geſſit, atq; ſi illi verè ſuccubitura eſſet vita.

Mortificationes erunt nobis ſolatio in morte.

5 Sacramenta petijt: & ne quam vlli ſcandali anſam relinqueret, cùm recordaretur ſibi à nonnullis dictum, fore vt corporis afflictationes, quas quidam nimias putabant, ſibi morienti ſcrupulo forent, ita vt S. Bernardo fuiſſe aiunt; poſt Sacrum Viaticum acceptum, Rectorem rogauit, vt præſenti Patrum & fratrum coronæ ſuo nomine diceret, ſe in

ea re

Digitized by Google

ea re nullà religione, nullo ſcrupulo tangi, quòd exceſſiſſet. Moleſtius ſibi eſſe, quòd potiùs defeciſſet in ijs quæ in hoc genere per obedientiam facere licuiſſet. Deinde; ſe, conſultò, in nullam vnquam legem, quod quidem ſciret, peccaſſe. Deniq; nihil afflictationis, niſi Superioribus annuentibus, ſuſcepiſſe.

6 A præſente P. Prouinciali petijt, & inſtitit primùm vt ſibi poteſtas ab eo fieret, ſeſe flagello cædendi, ſeu diſciplinà. Illi vires ad id faciendum non ſufficere dicenti Patri, oſtendit ſufficere ſibi ad id patiendum vires; petiuitq; vt ſaltem ab alio quopiam fortiore, à capite vſq; ad calcem flagellaretur: idq; valdè ſeriò. At nec ibi auditus, repulſam etiam in tertio tulit, cùm humi ſtratus mortem opperiri voluit. Ergò dolorum loco, ſuccedaneæ inſtar hoſtiæ, ſuam obedientiam, & voluntatis ad id, ſi liceret, paratæ obſequium *Deo* ſacrificauit.

Obedientia piorum deſideriorum ſupplementum.

7 Vt ſe ſe quibus poſſet modis ſeu vltrò venientibus, ſeu quæſitis affligeret, ſinè vllis contra nauſeam condimentis potionem nauſeæ valdè obnoxiam, ſinè vllo moleſtiæ ſigno, nõ repentè glutiuit, ſed ad vexandum palatũ, & guttur, ſenſim & cum ſenſu, quaſi optatiſſimũ gulæ irritamentum, demiſit. Et ſi duo eſſent, quorum alterutro vti deberet, id quod minoris erat pretij medicamentũ elegit. petenti autem, quid ita non alterum potiùs, quod præſtan-

Etiam in morbo cura mortific. & paupertatis.

Digitized by Google

ſtantius eſſet eligeret, quia hoc, inquit, pauperi magis conuenit.

Orandum pro iis qui ſunt in agone. Vid. c. 39. n. 7.

8 Pro alijs in agone conſtitutis *Deum* ardenter precari bona pro agonis noſtri felicitate præparatio eſt. Aloyſio certè præclaram id agendi occaſionem obtulit *Deus*, in morte P. Corbinelli, de quo aliàs. Noſtro agoni conſulimus cùm adeò inſigni charitatis actu in vltimà & maximà neceſſitatum omnium neceſſitate omni ope quà poſſumus alios in difficili illo agone ſudantes, in duello illo pro vita æterna contra omnem dæmonum & peccatorum turbam confligentes, ſingultibuſq; vltimis migrantem animam agentes adiuuamus.

In longo morbo ſibi conſtans virtus.

9 Longus, & moleſtus erat Aloyſij morbus: nihil tamen ſibi diſplicere vnquam oſtendit: non perſonam, non vllum perſonæ vllius factum aut verbum, non cibum, non lectum, non quicquam. Gratias pro omnibus compoſito ſemper animo quietus agebat. Præparatio eſt pretioſa, in quieta vſq; ad finem patientia migrantem animam poſſidere.

10 Nullos, niſi de *Deo*, de vita beata, ſermones admiſit, etiam cùm à Cardinalibus viſitaretur, quos dulciſſimè afficiebat illa iuuenis cæleſtium adeò gnari ſapientia. Si quid aliud diceretur, animum auertebat: Si ſancta; verbo & ſignis ſibi id valdè placere oſtendebat. Aiebat non *formale* ſolùm, ſed &

Et materiale, & formale ſit ſanctum.

mate-

materiale, vt dicimus, debere eſſe Sanctum quicquid agitur vel dicitur apud ægrum. Cor in Cælum præmittit æger, dum audit cæleſtia.

11 Audiebat periculum ſubeſſe Aloyſius ne in Vrbe lues in peſtem erumperet. Cùm ergò videret ſe necdum mori; ſe ſe obtulit ad ſeruiendum peſte infectis, ſi fortè à morbo reſpirare liceret, idq; adeò ſolidè, vt à P. Generali, qui ad eum viſitandum aduenerat, ſibi obtinuerit poteſtatem voto concepto ſe ſe ad infectorum obſequia deuouendi. Et votum illud magno animi ſenſu, magnà eorum, qui rei conſcij aderant voluptate nuncupauit. Deſiderijs tunc agendum eſt: & porrigendum cor vltra quàm vires poſſint. Inde accenſa non in lecto, ſed in Cruce, vel gladio, aut aliter, pro Chriſto moriendi deſideria ſunt ſeminarium triumphorum.

Deſideria heroica excitanda.

12 Pretioſiſſima æſtimabat ſingula momenta reſidui ſibi adhuc temporis: eaq; ita ſibi à *Deo* conceſſa accipiebat, vt non niſi rebus pretioſiſſimis impenderentur. Videndum ergò, quæ ſint omnium pretioſiſſimæ occupationes, quibus tempus illud impleri poſſit. Nunc illæ præparandæ; vt nos tunc paratos expectent. Ita nulla vltimi, & optimi illius temporis particula nos præteribit ſine lucro.

Singula momenta non niſi pretioſiſſimis occupationibus implenda.

13 Nonnunquam veſte poſtulatà ſenſim ad menſam, in qua erat Crucifixus, adrepebat: illum amplexabatur, oſculabatur magnà

Digitized by Google

reuerentiæ, ac pij ſenſus ſignificatione. Tum ad amplexus, & oſcula, & ſalutationes *S. Catharinæ Senenſis* admirabilis Virginis, cuius ibi imago erat, procedebat; tum ad alias Sanctorum, quæ circùm in cubiculo erant, imagines. Non eſſe neceſſe lectulo conſurgere, dicente valetudinario; & ſe Crucifixum, atq; imagines ad lectum apportaturum promittente, perrexit tamen idem agere quotidie, vſq; dum per vires id licuit. Frater, aiebat, hæ ſunt meæ ſtationes.

Cùm Sanctis conuerſatio.

14 Cum Patre Spirituali tractare ſæpiùs res eſt neceſſaria morienti. Loquebatur ſæpè de rebus *Dei*, & animi ſui Aloyſius cum P. Bellarmino confeſſario ſuo. qui interroganti aliquando Aloyſio; num putaret aliquos à morte ſtatim cælo recipi, abſq; vlla in Purgatorio mora; reſpondit: omninò eſſe quoſdam: & magnis argumentis in ea ſpe ſe eſſe, fore illum etiam vnum ex illis, vtpote magnis diuinæ beneficentiæ donis ornatum, è à letali labe ſemper immunem conſeruatum. quæ res Aloyſium tantis gaudijs perfudit, vt abſcedente Bellarmino ſibi relictus, intrauerit gaudium Domini ſui quodam mentis exceſſu guſtandum, ſenſu tanto dulcedinis impletus in illa cæleſtis Ieruſalem gloriâ quaſi per rimam ſpectatâ, vt tota propè illi nox inſtar breuiſſimæ morulæ viſa fuerit, abſorbente noctis longitudinem cogitato æter-

Sæpè cum confeſſario agendum.

æterno illo die. Putatur etiam in pleno illo dulcedinis cæleſtis deliquio ſuæ mortis tempus diſtinctè didiciſſe: nam, id quod hactenus adeò expreſsè nõ fecerat, dixit pluribus & ſępiùs, ſe Octauo à Chriſti corporis feſto die diẽ vltimũ obiturum; & fidẽ dicti morte impleuit.

15 Accepto mortis nuncio, lætus fratrem, vt ſe in dicendo SS. Ambroſij, & Auguſtini hymno iuuaret, rogauit, in gratiarum actionem. Et vnà *Te* Deum *Laudamus* dixere. Alteri Patri intranti ad ſe; *Pater mi*, inquit latinè, *lætantes imus, lætantes imus*! Tum ad treš Patres *vale* illis dicturus, ac eorum preces expetiturus, literas alienà manu dedit; & nominis loco, Crucem ſuà manu, ſed alienà ope, ſubſcripſit.

Te Deum laudamus pro gratiarum actione.

Preces aliorum expetendæ.

16 Amicum quendam Patrem orauit, vt ſupremis illis octo diebus vitæ ſuæ, quotidie tertià ante ſolis occaſum horà in cubiculo apud ſe adeſſet, ad recitandos ſeptem Pſalmos pœnitentiales. Veniebat condictà horà Pater: & Aloyſius ſolus ſibi tunc cum Patre illo relictus, clauſo oſtio, petebat ſibi ſuper lectulum poni Crucifixum. Pater verò lecto proximus, nixus genibus *ſeptem Pſalmos* lentà pronunciatione legebat. Subſiſtebat nonnunquam tantiſper in verſibus quibuſdam! & Aloyſius affixis Crucifixo oculis hærebat in illo aſpectu ſemper attentus, & hians; ita vt ipſo ſui aſpectu eos, qui eum obſerua-

Certum tempus dandum certis precibus.

7. Pſ. pœnitent.

Digitized by Google

bant ad lachrymas permoueret. Ipſe verò immotus quieto vultu oculiſq; tacebat, vnâ illi alteraûe nonnunquam ex oculis lachrymulâ placidè delabente.

Selecta lectio.

17 Orationi miſcebat lectionem, & huic rursùs orationem. Alijs diei horis legi ſibi petebat, audiebat, ea quæ aliàs hìc retuli.

Iaculatoriæ. ſilentium.

18 Vltimâ ſuæ vitę hebdomadâ, perpetuę ferè contemplationi ſe dabat; modicum nonnunquam de diuinis rebus interloquens; & ſæpè iaculatorijs, quaſi faculis, animo in cælum emicans.

Cura indulgentiarum.

19 Vltimo vitæ triduo: æreum Crucifixum indulgentijs nobilem pectori tenebat admotum.

Proteſtatio fidei.

20 Veræ ac Sanctæ fidei proteſtationem fecit ſæpiùs, eo ordine, quo in Romano rituali præſcribitur.

Deſiderare *Deum*.

21 Magnum ſæpè deſiderium oſtendebat ad *Deum* feſtinandi, ſeq; illi penitus coniungendi, ſæpiùs ingeminando: *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto*. & plura hiſce ſimilia.

22 Ipſo iam Octauæ Corporis Chriſti, id eſt vltimo vitæ ſuæ, die, cùm plures dicerent, adeſſe octauum diem, & tamen illum, contra quàm toties affirmarat, viuere; Patri cuidam reſpondit: Necdum præterijt hodiernus dies. Alteri teneram erga Aloyſium à longo ſitu altero latere miſerè affectum commiſerationem monſtranti, Aloyſius reſpondit: Hac nocte moriar.

Diem ita atque si eſſet vltimus occupare.

moriar. Negante altero ita morti proximum videri;bis repetijt:Hac nocte moriar:hac nocte moriar. Et matutinum tempus omne varijs fidei,& adorationis actibus, alijſq; precibus, impendit. O quàm pretioſa præparatio, ita diem occupare, quaſi illæ ſint diei vltimæ occupationes!

23 Sub meridiem diei vltimi, precibus acriùs inſtitit petere viaticum, quod ab ipſo diei principio poſtularat. Neganti valetudinario id illi iam dari poſſe, cùm bis eodem in morbo viaticum dari non debeat; id quidem de extremà vnctione, non verò de viatico verum eſſe dixit Aloyſius. Interea Gregorius XIV. Pont. illi benedictionem pro felici morte miſit,quam ille multà cum ſubmiſſiſſimæ modeſtiæ ſignificatione accepit. Tandem viaticum impetrauit; & cum Patre quodam Litanias de Sanctiſſimo Sacramento dixit,voce clarà præeunti reſpondens. Accepto è P.Rectoris manu Viatico, more eorum, qui peregrè veniunt vel diſcedunt, amplexu ſingulis qui aderant valedixit,datis pretioſis ad ea quæ dicebantur, reſponſis. Patri Prouinciali mox ingreſſo, & dicenti: Quid fit, frater Aloyſi? *Imus*, inquit, Aloyſius. Et quorſum, petente Patre, reſpondit: *Ad Cælum*. Quomodo ad Cælum? inquit Pater: Et Aloyſius: *Niſi mea me peccata impediant, ſpero in* Dei *miſericordia fore vt illuc vadam*. Vnà ante ſolis

Viaticum.

occa-

occaſum horà, detractà è capite vittà, cùm eandem vt ſibi reponi pateretur diceret non nemo; reſpondit, oculis in Crucifixum, quem tenebat, conuerſis: Chriſtus, cùm moreretur, caput opertum non habuit.

24 Vale omnibus dixit, promiſsà omnium in Cælo recordatione: & precatus eſt omnes, vt ſe in difficili, & ſupremo illo puncto precibus adiuuarent. quædam etiam non nullis ſuggeſſit, quæ ab ijs pro ſe ſtatim à morte fieri deſiderabat. Commendationem animæ mox adiecit.

Preces petendæ.

25 Cum duobus Patribus relictus Aloyſius, ſelecta quædam è Sacra Scriptura interdum promebat, vt: *In manus tuas Domine, &c.* nunc aquà luſtrali aſpergebatur, nunc orantes audiebat, nunc porrectum ad os Crucifixum exoſculabatur; & actus, qui ſuggerebantur, eliciebat. Tum liuidà facie mortuales illi guttulæ defluebant: & moueri petens è latere, in quo triduo toto iacuerat, in latus alterum; Crucifixi mentioni factæ acquieuit, oculis in illum defixis. Mox loqui iam non potentem cereo benedicto & ardente in Crucis formam ſuper eum ducto, ſignauère, & cereum in manum dedère: quem ille manu ſtrinxit; & poſt paululum, dulciſſimum *Ieſu* Nomen exprimere conatus, motis ad vltimum labijs inſtar plura dicere molientis, inter ſecundam ac tertiam à nocte inchoatà horam; octauæ corpo-

Vltimæ occupationes.

Anno 1591.

ris

ris Chriſti in feriam ſextam euntis nocte, quę inter 20. & 21. Iunij diem intercedebat, tres & viginti annos, tres menſes, & 11. dies natus, morte placidà in Domino requieuit. B. Magdalenæ Florentinæ poſtea in ſublimi glorię gradu conſpectus eſt, eò quòd *internis actibus* frequentandis fuiſſet impensè addictus. Atq; hæc de Aloyſij morte per puncta digeſtà; quò illius ad illam præmiſſus apparatus eſſet ad legendum, imitandumq; facilior.

Actus interni frequentandi.

2 *Claudius Eſtrangin* Coadiutor, quaſi ſolenne illud S. Henrici *Poſt ſex* legiſſet, vltimo ſex dierum, quos vitæ ſupremos habuit ſpacio, viuendi ac moriendi, atq; ſe morti comparandi ſeriem digeſſit in hunc modum: 1. *Die*, Sacramentis Confeſſionis, & Communionis refectus eſt. 2. *Die*, Vitam vniuerſam Examine, & exomologeſi nouà expiauit. 3. *Diem* Sanctæ Vnctionis Sacramento dedit. 4. Sanctiſſimo Viatico, & Socijs complexu vltimo valere iubendis. 5. Selectis cum *Deo*, ac Sanctis, colloquijs. 6. deniq; eumq; ſupremum, morti; quam obijt ſuauiſſimè Viennæ Galliæ.

Vltimorum ſex dierum occupatio.

6. Febr. 1616. ætat. 62.

3 *P. Laurentius Bartilius*, æger in ſingulos dies Sacrà Euchariſtià refectus eſt. Die ſupremo, cùm ſedens in lecto Euchariſtiam ſumpſiſſet, capite versùs Chriſti Crucifixi imaginem inclinato, ne verbo quidem ſe interturbari paſſus, tam diu per plures horas in oratio-

Vid. Alb. koialouuich vitæ c. 9.

Meditatio Crucifixi.

Digitized by Google

oratione mentis defixus hæſit, donec inſtante iam mortis momento, caput in puluinum reclinaſſet: ſtatimq; placidiſſimè expirauit. Reperta poſt illius obitum charta quæ varios virtutum actus complectitur, pro morte potiſſimùm idoneos. *P. Ioannes Ponce* Ducis de Arcos filius, tantà cum apparatione eſt mortuus, vt Abbas quidam Ord. S. Benedicti tunc cùm illi adeſſet, ac ad concionem

1. Febr. 1606. poſtea, dixerit; ſe nulla vnquam in vllo vidiſſe maiora exempla virtutum. Crebra in ore tunc illi hæc vox: *Elegi abiectus eſſe in Domo* Dei *mei magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum*. Aiebat; optare ſe vt omne ſuæ vitæ momentum eſſet diuino amore affluentiſſimè vndequaq; pleniſſimum.

4 *P. Camillus Conſtantius* cùm Firandi in odium fidei viuus combureretur, *Laudate Dominum omnes gentes*, decantauit; & quinquies, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Sanctus* ingeminans expirauit. Eadem de cauſa

7. Febr. 1593. cùm cęderetur *Guilielmus Saltamochius* Coad. Albenaci, æternitate ſe, ac *Ieſu* nomine ſolabatur, & hortabatur dicens: *Patere, caro, patere*. *P. Alphonſus Petra*, in obſequio

Romæ 1657. 4. Ian. peſte tactorum, coram S. P. Ignatij imagine orantis, & in genua vltimùm demittere ſe volentis inſtar inclinatus, poſt heroica ſic moriendi deſideria, benè de multis meritam in illa lue animam exhalauit. *Ioannes*

Dolæ 1601. *Rubæus*

Rubæus Scotus ſupremis vitæ horis detractam è reliquiaria theca de collo ſchedam explicuit, & patronorum nomina ex ea piè admodùm recitauit. *P. Adamus Calcouen* libellum in quo ſanctos patronos menſium, & alios, iam inde à tirocinio conſcripſerat, legi ſibi ſub mortem voluit:& petijt, ac impetrauit cum eo ſepeliri. 24. Sept. 1656.

5 Teſtamentum quoq; eſto inter pretioſas ægri occupationes non vltimum: animas nempe purgatorij ad ſuum agonem inuitare, vt opitulentur periclitanti:& pro illis *Deo* per manus B.V.aliquid offerre. *P.Ferdinandus de Monroy* vir eximius in orandi et animarum curandarum dono, ante mortem ſcripto teſtatus eſt (idem poſtea imitato *P.Ioanne Fabritio*) donare ſe animabus Purgatorij quicquid Sacrificiorum, coronarum, et bonorum operum pro ſe mortuo eſſet ab vllo mortalium offerendum. Hæc illi occupatio inter ſupremas fuit.Atq; hàc liberalitate gratum animarum illarum animum, et diuinam munificentiam actu charitatis tam heroico prouocauit. Monaſterij 1656. Animabus purgatorii donandum aliquid, vt in agone nos iuuent.

6 Hactenus ægros, et morientes pijs ad mortem vſq; officijs proſecuti ſumus. Iam ſupereſt, vt breuiter inde commodi aliquid referant ſuperſtites, illi ſe articulo paraturi. Sit ergò

Digitized by Google

CAPVT XXXIV.

Prima ſani, & ægri ad mortem apparatio: Frequens mortis meditatio.

1 P. *Bernardo Colnago* caluaria ſemper in cubiculo, mnemoſynon nouiſſimorum. Cranio ſuper lectulum collocato pileum quadratum imponebat: ſeq; in illo per apoſtrophes inflammatas alloquebatur, de vanitate, de æternitate. Taceo, ne moueam horrorem, quid in ſepulchris ad cadauera egerit, vt ſe fætore illo ad mortem præpararet: *O mors amabilis, ò mors deſiderabilis!* aiebat interdum accenſus, et ſuſpirans à deſiderio moriendi, quod inflammato ſcribendi charactere in literis ad quendam intimum datis luculentiùs teſtatus eſt. Vbi *illum, illum amoris plenum* Deum, *illum noſtrum, noſtrum, noſtrum Ieſum* flagrantiſſimè deſiderat: aitq; ſe habere magnam neceſſitatem videndi *magnum* Deum; *& ea, quæ ſunt in magno illo empyreo, in illo palatio pulcherrimi* Dei: *O quando*, inquit, *te videbo! ò quando tibi loquar! ò quando totus, totus, totus memet profundiſsimè ſubmergam in magno illo, & nullis terminis concluſo mari! abyſſo infinitatis tuæ? Ecquando mihi loqueris, quando alio modo loqueris mihi, Domine mi? &c.* O qui ſciret legere *plenum pietatis librum illum!* Martyrium illi ſemper

in ar-

in ardentiſſimo deſiderio potiùs quàm in expectatione fuit, cùm ſciret, quà morte eſſet auocandus. id quod decem ante mortem annis à *Dei* Matre didicerat: aiebatq; ſe ſibi pro morte ope diuinà iam prouidiſſe, et cum bono *Deo* diſtributè omnia ordinaſſe. Amico intimo dixit; fore vt propediem ſe inuicem eſſent viſuri in paradiſo. Reſpondit euentus dicto: nam is octauo poſt Patrem Bernardum die deceſſit.

2 *P. Petrus Manricius* in mortis curà viuebat aſſiduè. Magnatibus Hiſpaniæ virum tantum Societati addici ægrè ferentibus, inter alia præclara, ſcripſit: Interrogentur ſingillatim quotquot Religioſi moriuntur in ſuis clauſtris: Malleſne vitam finire Sacerdos honoratus, et opulentus? Omnes negabunt. Interrogentur item viritim, quotquot honorati Sacerdotes in ſeculo: Malléſne vixiſſe Religioſus, ac deſpicatus? nemo erit, qui non affirmet: etc. Valetudinem obtendentibus; Si benè valentes, inquit, ad Religionem concedunt vt benè viuant; ego valetudinarius adibo, vt benè moriar. Hunc ergò Societati adſcripſit prouiſa mors. In Societate ſub Crucifixi effigie, quam habebat in cubiculo, ſcripſit: *Quoniam mortuus es, ſepelire: alioquin malè olebis*. Eam ob rem, inquit ibi Sachinus, ſummo labore 1. In libellum verſiculos è Pſalmis retulit, et 2. Sanctorum

Hiſt. Soc. p. 4. l. 5. n. 134. Optima vitæ conſultrix eſt mors.

N. 138. Libellus mortualis.

rum dicta inſignia, quibus nouiſſimo tempore ſiue legendis, ſiue audiendis, ad agendum cum *Deo*, & mortis curam omnium grauiſſimam excitaretur, vt fecit: eoq; opportuniùs, quòd diem exceſſus ſui aliquot ante diebus præuidit, prædixitq;.

Annuæ Aquitan. Petrocor. Coll. 1596.

3 *Patris Franciſci Bordesij* frater, tres, quos habebat, liberos, Societati ſe dedicantes lætus vidit; demum eidem & ipſe addictus, nuncupatis ſub mortem votis, & ſuis omnibus (ciuis erat Petrocorienſis) Societati tranſcriptis. Ad huius in æde noſtra magnà Vrbis celebritate tumulati Sepulchrum poſt dies aliquot acceſſit *P. Franciſcus*, & ſupplex à *Deo*, vt felici morte breuì fratri iungeretur in cælo, petijt: ac ſecuto die ſacrificanti miſſa è cælo vox dixit: *Exaudita eſt oratio tua*. Accinxit ſe ille, quibus poterat artis ſanctiſſimè moriendi induſtrijs; & breui poſt dies aliquot morbo fratrem ad immortales ſecutus eſt; voto ſuo ſanctè potitus, & fraternæ mortis meditatione ad benè moriendum abundè inſtructus; priùſq; teſtatus, ***nullum ſe diem vixiſſe, quem non aliquà cogitatæ mortis commentatione ornaſſet.***

Mortis quotidie meminiſse.

4 *P. Ioannis Dauid* penes duriſſimum ſuum lectum habuit loculum ſepulchralem, cùm ſui iuris eſſet.

5 Huc facit id, quod de *P. Siluio Brunorio* affero c. 14. qui anno 1620. octoginta

iam

iam annos natus deceſſit Ferrariæ ipſo Chriſti naſcentis die, horà noctis octauà, pro qua *Ieſum* puerum ſibi in horologio ſuo ſpirituali, adoptarat cuſtodem, ſi eam horam ſupremam eſſet habiturus. *P. Ioannes Sigerſreiter* Dilingæ Collegio, & Academiæ præerat, cùm in Dramate quopiam è theatro cranium hominis mortui ad eius pedes deuolutum mortis imaginem illi tam altè impreſſit, vt per totos 27. annos reliquos quibus vixit, illam quotidianam expectarit; neq; cubitum vnquam conceſſerit, niſi Pſalmo quinquageſimo recitato ad indulgentias lucrifaciendas, ſi eà fortè nocte decederet. Vltimo 15. Iul. vitæ die totus morti paratus, aiebat lætus: 1655. *Venias, ò mors optata; non me terrebis. Ego iam paratus ſum, quantum tamen Religioſus paratus eſſe poteſt. Te, mors, non timeo. Tamen me plus parabo, ſi plus temporis* Deus *mihi conceſſerit.* Viſus eſt mortem ſuam haud obſcurè non ſemel, nec ex vano, prædixiſſe. Lachrymas in ſacro, aliàſq;, crebrò fundebat, ſed tunc potiſſimùm cùm generalem de totà vita, eamq; poſtremam, exomologeſin obiret.

6 *Marcus Grandl* 62. annos natus Coadiutor, vitæ feliciter finiendæ quotidie intentus, ipſe ſibi Sandapilam conſtruxit; vt illam 26. Dec. 1649. præ oculis, mortem verò præ corde haberet. Profuit viro ea prouidentia, ne mors aliud agentem opprimeret. Nam dum vniuerſæ

vitæ

Digitized by Google

vitæ labes Confeſſione diligenti ad Sacerdotis aures deponeret, ipſo illum in opere apoplexia, & mox ritè abſolutum mors, vt aliàs dixi, oppreſſit, in ipſa ſua intempeſtiuitate maximè tempeſtiua. *P. Martinus Clodius* Alſata pictam in charta ſandapilam ſecum geſtabat: & ſeu per iter, ſeu domi eſſet, è cubiculi pariete ſuſpendebat.

7 *B. Franciſcus Borgia* mortis in ſingulas horas memor, aiebat; boni religioſi eſſe negotium, vt mortis quotidie quater & vicies meminerit. Et erit horarum aliqua, quà diceris eſſe extinctus. Eadem quæ nunc nos ad ſurgendum, orandum, examen, menſam, ſilentium, exhortationem, Litanias, cubitum inuitat campana, nos mortuos nunciabit: *Nec dignus eſt*, inquit S. Cyprianus, *in morte accipere ſolatium, qui ſe non cogitauerit eſſe moriturum*. Mortem cogitare, eſt quotidie mori, atq; reſurgere; ſicut ſol: qui, vt ait S. Zeno, quotidie naſcitur, & eadem, quà naſcitur, emoritur die; nec tamen inſtantis finis ſui ſorte terretur. Sed ſemper intrepidus, & fidelis ad ſepulchrum noctis cognatæ contendit, ſciens ſe in ipſo habere, quod viuat. B. Borgia noſter adibat Crucifixum, & ſub Cruce *Mariam* quotidie: petebatq; vt per eos quos tunc ſenſiſſent dolores, noſtram mortem illa *Deo* Patri acceptam redderet, propter mortem Filij.

Mortis ſingulis horis meminiſſe.

Apud Bedam in adagiis c. 49. Serm. de reſurr.

8. P. Gui-

8 P. *Guilielmus Lamormaini* Gallobelga Ferd. II. Imp. olim confeſſarius, vir magni iudicij, atq; ad æterna perattenti, conſcripſit ſibi mortis præparationem hoc titulo: *Quæ vellem in hora mortis me feciſſe; & quæ dum viuo, per eius gratiam qui vocauit me volo facere*. Inter varia quæ pro morte felici collegit, eſt etiam memoria notorum, & amicorum defunctorum, quos ille nominatim recenſet. Reſpondetq; ſibi ſæpiùs: *Nonne illos deſtituit tempus, & tenet æternitas? Tenet, æternùmq; tenebit!* Et iterùm: *Deſtituit eos tempus: habet omnes æternitas. I nunc, Guilielme, fide tempori: procul eſſe credis æternitatem? Quem æternitas non monet, aut fidem non habet, aut cor non habet*. Rogabat *Ieſum* per Beatiſs. V. & per omnes Sanctos, nè ſe in extremo articulo vel deſperare, vel præſumere pateretur. Petebat in Communione quotidie, ne ſe *Deus* ſineret videre mortem, niſi priùs ſumeret Chriſtum Domini. Deſignarat preces quas ſibi in agone repeti, & inculcari deſiderabat. De illo reliqua ſuo loco.

Viennæ Auſtriæ 1648. 22. Febr.

Orandum ne diſperes, vel ne præſumas.

9 *P. Petrus Belecius* vir nobili, & religioſo planè ingenio, Poſonij, authoritate Archiep. Strigonienſis cœtum erexit: *S. Mariæ Matris morientium & mortuorum*: cuius ſtatuta præclaris ad mortem documentis impleuit: pro animam agentibus, & mortuis preces præſtituit. In 5. regula conſultum eſſe ait *quotidiè*

dum

Digitized by Google

dum ſurgimus mortis quaſi iam imminentis meminiſſe : & cogitare, illud fortaſſe manè aduenisse cuius veſperam viſuri non ſumus. Ipſe 10.
Poſonii 1649. 10. Maij. Maij manè ſacris operatus, alterà tertiauè poſt horà apoplexià ictus, eius diei veſperam non vidit.

1. Ian. 1609. 10 P. *Andreas de Zea* Granatæ ſpiritum reddidit charo *Deo*. Hic pro perpetua mortis memoria ſemper à feria 4. cinerum cineres, inſtar theſauri, aſſeruabat.

21. April. 1652. 11 P. *Iacobus Bernard* Montibus mortuus, ab annis pluribus ad mortem optimè obeundam varia exercitia in dies ſingulos diſtribuerat; adiectà quadam, vt vocant, proteſtatione, quæ plurium in vſu iam eſſe conſueuit, nimirùm quouis rerum ſuarum pro extremis illius articuli ſatagente.

CAPVT XXXV.

Altera apparatio; ſub ſacro, vel communione morti ſe præparare.

1 IOannes Card. de Lugo in ea quam ad Domum Prof. Romanam anno 1651. exeunte habuit exhortatione, nos ad ſingularem in diuino Sacrificio reuerentiam cohortatus; *Ieſu feliciſsimam Societatem*, aiebat S. Dionyſij Areopagitæ verbis, *ex Sacramenti Communione conÿcies*. Et verè illa nos triumphan-

phanti *Ieſu* Societati parat, ferè inconſcios quando vltimùm introëamus ad altare *Dei*, breui poſt exituri è vita. *P. Antonius Almeida* habebat in more, quoties nonnihil præter ordinem corpuſculi valetudine afficeretur; ſub ipſa Miſſa ſacra Domino ſuo tenerrimum *vale* dicere, ac ſi aliàs nunquam eſſet ſacrificaturus. Moriens, humi voluit collocari, vbi ſuauiſſimè cum *Ieſu* Crucifixo colloquens exceſſit è vita. Optima ad communionem præparatio eſt, ire ad illam atq; ſi tunc eſſes expiraturus: parare ſe ad illam tanquam ad ianuam felicis æternitatis. *P. Ioannes Veron* Augi æger, dum ſe ad Sacramentum altaris per confeſſionem peccatorum pararet, ſuauiter expirauit inter Sacerdotis illum abſolutum ſtatim extremà vnctione vngentis manus.

Trigaut. de Chriſt. exped. lib 3. c. 5. pag. 263.

1655. 13. Iulij

2 *P. Ioannes Baptiſta Velatus* à S. P. Ignatio ad Societatem receptus, & multæ laudis, at maximè obedientiæ, vir, cùm æger ad ſuprema deueniſſet, id propè quieſcens frater nihildum de periculo ſuſpicatus non aduertit. Vidit hic per quietem Patrem Ioan. Bapt. Velatum Sacris operari ad aras, Miniſtro ſpectatiſſimæ venuſtatis adoleſcente candidato. Iam peracta videbatur Conſecratio, & adoranda Hoſtia à P. Ioan. Bapt. Velato eleuata, & poſt hanc Calix. Tum Angelicus ille Adoleſcens Sacri Miniſter, acceptum è candelabro cereum fratri dare eſt viſus, & di-

Annuæ Mediol. Coll. 1602.

11. Nou.

Angelus Cuſtos.

Digitized by Google

cere; vt ſine mora exurgeret, & Patri Ioanni Baptiſtæ animam iam agenti opportunà opẽ adeſſet. Excitauit ea res fratrem à ſomno: & ad Patrem accurrit;atq; ita, vt Cæleſtis ille monitor dixerat, in agone poſitum reperit. Aduocati mox Patres ac fratres, migrantem animam ſanctà comprecatione ſunt proſecuti.

3 *P. Franciſcus Bordeſius*, Sacris operatus cùm Hoſtiam,& ſe ad mortem,vt dixi,ritè offerret, has voces audiuit: *Exaudita eſt deprecatio tua*. C.34. n.3.

4 *Patri* quoq; *Franciſco Arauio* Luſitano diuinis Myſterijs operanti ſignificatum diuinitùs eſt, illum diem illi eſſe ſupremum.Ergò in Sacrificio illo Sanctiſſimum Sacramentum pro viatico ſumpſit. A Sacro, Domus Præpoſitum adijt, ſeq; illo die moriturum dixit, adeòq; Vnctionem extremam in lectulo ſẽ collocans impetrauit, breuì in circumfusà Patrum & fratrum coronà ſuaui mortis languore extinctus.

5 *P.Sebaſtianus Diaz* in Cocinenſi orientis India cum virtutis præſtantis opinionẽ deceſſit. Huius à collo pendens reperta eſt è corio lipſanotheca, & in ea duæ chartulæ, præter alia, inuentæ: quarum in alterà, religioſa Societatis vota ſuo ſanguine inſcripſerat: In altera ſcribebat; ſe tali anno,menſe, die Dominico in Domeſtico Sacello Co-

nimbri-

nimbricenſis Collegij inter agendum gratias Chriſto poſt percepta diuina myſteria, tria hæc diuinitùs accepiſſe. 1. Es prædeſtinatus ad gloriam. 2. Perſeuerabis in Societate. 3. Poſt annos ab hinc quatuordecim morieris. Et verò expenſis benè calculis, ab eo anno & die, quem in charta adnotarat, illo ipſo die, quo mortuus eſt, annus decimus quartus implebatur. In Auſtriæ Prouincia ægrorum quædam cubicula hinc & hinc poſita ſacellum habent in medio; ad quod feneſtra,& porta vtrinq; aperiri poteſt, ad ſacrum audiendum. At hæc vbiq; haberi non poſſunt. Quapropter ſi æger ſacris audiendis intereſſe non poſſit, deſiderio ad omnes orbis terrarum Aras prouolutus, omnibus quæ toto terrarum orbe facta ſunt, fiunt, aut fient Sacrificijs deſideret intereſſe; illis dolores ſuos ac mortem coniungat, & vnà cum illis *Deo* Chriſtum, & ſe ſacrificet in Sacrificium laudis: *Sacrificium laudis honorificabit me: & illic iter quo oſtendum illi ſalutare* Dei. Pſ. 49.

6 Habendam pretioſæ mortis curam tempore diuini Sacrificij, monet illud quoq; quod habet vita P. Ioſephi Anchietæ in hæc verba: Ipſo die feſto S.Ioannis Euangeliſtæ, Miſsà *Requiem*, quaſi certo homini parentauit. Id verò abſurdum multis viſum eſt. Nobregæ quærenti cur tantæ religionis die Lib. 2. Pag 144. 27. Dec.

Digitized by Google

tam enormiter ab Eccleſiæ ritu exerraſſet? Reſpondit; eà nocte in Lauretano Collegio Societatis in Italia, Sacerdotem Societatis obijſſe, quem Conimbricæ in Scholis condiſcipulum habuiſſet; ſe illius animæ iuuandæ Miſſæ Sacrificium eo die obtuliſſe: illam cælum ingreſſam, cùm poſt Sacrificij oblationem ad eum locum veniſſet; *omnis honor & gloria*.

Lib. 3. p. 299. 7 Ibidem P. Anchieta dixit, ſe pro *Bartholomæo* quodam Adoleſcente noſtro defuncto quinquies *hoſtiam ſalutarem* immolaſſe: neq; pluribus ſanctam illam animam indigere. Hæc eſt illa anima, quæ ſub auroram P. Adamo Gonzalo intentis in cælum oculis oranti, & agmen in alto ambulantium proſpicienti dixit: *Pater, Pater, ego ſum! ora* Deum *pro me*. Et Pater eam vocem *Bartholomæi* eſſe agnouit.

8 *P. Ioannes Bounet* Nanceij & *ſacris operatus eſt* ſanus, & per horas nonniſi octo æger, 28. Ian. 1643. Sacramentis munitus omnibus, finem viuendi placidè fecit. Per ipſos 25. annos quothebdomadis diuinum Sacrificium ſemel de B. V. celebrauit ad hanc à *Deo* gratiam impetrandam, vt ne vlli moleſtus eſſet, etiam extremo in morbo; & tamen omnibus inſtructus Sacramentis decederet. Impetrauit.

8 *P. Petrus Spiga* mortis ſuæ tempus integro priùs menſe particulatim prædixit.

Hic

Hic mortuus calicem manibus inſertum, vt ad ſepulturam, de more præferret, apprehendit, ſtrinxitq; ceu viuens. Quæ profectò ipſa memoria, quòd ſacrificali veſte induti (Romæ quidem) deportemur ad exequias Patres, magno & ſolido ſtimulo eſt, ad illud ſacrificium non perfunctoriâ celeritate decurrẽdum, negotiumq; mortis noſtrę accuratione ac pietate ſummâ cum *Deo* tractandũ in tempore præ omnibus alijs pretioſo ac ſancto. S. Dec. 1594. Biblioth. Script. Soc.

CAPVT XXXVI.

Apparatio tertia ab amicis morientibus, mortuiſq; diſcenda.

1 ALieno iſta experimento res diſcitur: nam longè rariſſimus eſt, cui bis id liceat, vt Lazaro, experiri. *P. Ioannem Rorunolff*, de quo ſupra, duodeuiginti ante mortem diebus morbo necdum periculum indicante duo Patres adière, quos P. Ioannes pridem vitâ functos eſſe ſciebat, ſibi olim familiariter notos. Interrogati cur veniſſent; diſertis verbis affirmabant, ſe adeſſe, vt amicum ſuum ad cæleſtem Societatem inuitent. Hæſit ſuauiſſima inuitantium ſpecies Patri Ioanni alto pectore. Sic age, tanquam inuitatus ad cęlum. 31. Iul. 1646.

2 *P. Henricus Carlier* Huij mortem obijt, quam 16. Sept. 1636.

quam prædixit. Nam morbo contactus, perſanctè Confeſſario affirmauit mentis benè compos, & vigil, ſibi *P. Guilielmum Bartier* iſtic paulò antè defunctum adfuiſſe, atq; dixiſſe; fore vt & ipſe breuì ſequeretur, eodemq; conſortio frueretur. Hinc illi magnum ad mortem cordatè obeundã ſolatium acceſſit. Antiquius his eſt *Petri Antonij* in Collegio Romano morientis exemplum. Vidit ille in morte ſplendidam, & glorioſam coronam eorum qui ex hac Societate ad cæleſtem felici morte trãſierant; & ab ijs inuitabatur ad felicitatẽ illam, ad quam ſe illi aiebant iam diuinę miſericordię beneficentià perueniſſe. Verè *magnus illic nos charorum numerus expectat.*

155. Febr. P. altrini .ſ. ex dia. is vet. in rchiu. §. pag. 18.

Nou. reu. lect.

3 P. Recupitus ait, *quendam Patrem* è Societate morti iam adeò proximum, vt non niſi vltima expiratio expectaretur, repentè ad Patrum coronam dixiſſe, fore vt quatuor adhuc diebus maneret in vita: quibus exactis, ad meliorem ſe vitam abiturum. Non pauci alij diſtinctè dixère quot adhuc dies eſſent victuri. & fidem prædictioni euentus aſſeruit! Felices nos ſi ita omnia componamus, quaſi non niſi quatuor dies victuri!

ract. 3. nduſtr. ag. 428.

4 *P. Ioannes Fernandius* cùm Romę Theologiam doceret, abreptus in ſpiritu, viſus ſibi eſt hortum ingredi multis, & odoriferis amœnum floribus, & ſuaui muſicà iucundum (verba ſunt Ioannis Nierenbergij hæc

narran-

narrantis) & ibi vidit animam quandam ſplendido amictu velut ſolis radijs veſtitam,& circundatam varietatibus viridibus: & intellexit eſſe animam *cuiuſdam Coadiutoris*, qui in Societate vixit ſeptennio. Nierenb. Aſcet pag. 174.

CAPVT XXXVII.

Apparatio quarta: Paratum eſſe indies, & in horas; neq; curare, quo mortis genere, ſed quàm ſanctè mortem obeas.

1 P. *Michaël Ochoia*, ſanandarum diuinitùs infirmitatum dono præditus, morbo ex lapſu in quæſtuoſà pro animabus excurſione contracto extinctus eſt. *P. Gonzalui Aluarez* naufragio hauſti cadauer à mari eiectum, in littore genibus niti repertum, manibus eleuatis in cælum. *P. Ioannes Maldonatus* repertus in lecto mortuus, morte ſibi imminente præuiſà; & quotidie quinquies ob oculos ſibi poſità; vt videret numquid eſſet quod ſibi morienti anxietatis aliquid poſſet afferre. Hiſt. p. 4. l. 3. n. 91. 21. Iulii 1573. 5. Ian. 1583.

2 *Ioannes Baptiſta* Coadiutor, quem olim in vocatione tentatum Beatiſſima *Deipara* cum S. Petro Apoſtolo, et S. Barbarà fideli aduocatà, inuiſit, et in ſtatu in quo eſſet, vt perſeueraret hortata eſt, in quo vitam eſſet conſecuturus æternam; admirabili poſtea Annuæ Granat. 1610.

cum

Digitized by Google

cum *Deo* familiaritate; orandi, ſe affligandi, ac lachrymarum dono, et multis de Dæmone minas horridè intentante victorijs nobilis, exemplum fuit inter primæ notæ exempla reponendum: Hic in ſuburbano prædio, cùm fructus ex arbore in vſus Collegij legeret, lapſus, et eodem die viatico refectus diem finijt; Cadit ex arbore, & moritur. id quod petijſſe à *Deo* dicebatur, vt ne moleſtus eſſet domeſticis ægrum curaturis.

1637. ætat. 83. 3 Rothomagi *Simon Ioly* conſummatæ virtutis laude celebratus, ipſo S. Thomę Apoſtoli die in templo, pro more, Angelico pane refectus, circa meridiem flexis humi genibus, ſitu Roſarium *Deiparæ* Virgini recitantis, exanimis eſt repertus. Moguntiæ *P. Ioannes* 21. Ian. 1656. *Lauardus* concionem ab illà ſententia exorſus: *Vigilate itaq; quia neſcitis diem, neq; horam*; per quartam horæ partem dixit, et catarrho apoplectico oppreſſus, è ſuggeſtu aſportatus, extremùm vnctus, nec ampliùs locutus, extinctus eſt.

4 *M. Guilielmus Alſeliers* Aloſti cùm apud ſe cuiuſdam ægri variolis cooperti, et alterius, qui è Societate abitum meditabatur ſortem componeret, ac vtramq; animo ponderaret, adeòuſq; toto animo exarſit, vt non quàm parùm amœnà, verùm quàm ſolidè bonà morte de vita diſcederet ſollicitus, ad auguſtum domi hoſpitem in Euchariſtia *Ieſum* in ſupplices preces effuſus abierit, ac flagrantiſſimis

tiſſimis modis expetierit, illo potiùs morbo ac morte corripi, quàm aliquando de Societate deſerendà cogitare. Tulit pretium deſiderij tam ſinceri: nec multo poſt tempore, deſiderato morbo ac morte perfunctus eſt. 28. Oct. 1632.

5 In Collegio Pictauienſi P. *Ambroſium Ioly* leuiter inflexo ad focum corpore, venà diſruptà ſanguis pleno impetu præceps, ſibi præſentem, ac periculum aduertentem, atq; pœnitentiæ causà, quà poterat contentione, vt abſolueretur, exclamantem *mea culpa*, breui temporis interiectu ſuffocauit; magnæ omninò virtutis virum, quiq; ſe ad mortem quotidie ſtudiosè planè comparàrit. Quippe ipſo, quem ſupremum habuit, die dixit; ſibi familiare id eſſe atq; perpetuum, vt quotidie trium indulgentiarum lucra colligeret, peractis accuratè pro ſua tenuitate ijs, quæ ad ſacroſanctum illud animi compendium requiruntur. 24. Nou. 1623.

Venà diſruptà moritur.

Indulgentiarum lucra plura quotidie.

6 *P. Paulus Ioſeph Arriaga* ſe in Societate *Ieſu* ita geſſit per omnem vitam, vt facilè perſuaſerit verum eſſe, quòd à ſpectabili ſibi *Deipara* eſſet ad Societatem accitus. Hic in ſinu Mexicano, naufragio ſæuiente, quaſi ſui ſecurus, expiatis omnibus, cùm nihil iam videret ſibi ſupereſſe officij alijs impendendi, ſe ſibi conceſſit. Tum in quadam nauis parte mortem ſtatuit opperiri. Ergò ſupplicabundus in genua ſe demittit, & in Crucifixi am- 6. Sept. 1622.

Inuenitur mortuus in amplexibus Crucifixi.

plexu orat:ac velut Moyſes in oſculo Domini animam relicturus inter vulnera, dum totó oſculo hæret ad Crucifixi latus & cor, expirat. Reliquit anima corpus in genibus, atq; in illo amplexu. Nec erat, qui auderet attingere, præreptum alijs, vt citra agonem fluctuum moreretur. Vbi fluctus in nauim liberiùs ſunt bacchati, corpus P. Pauli abſtulère in mare, diu fluctuans in Crucis amplexu. Nempe, *dicite iuſto quoniam benè*, vbi demumcunq; vità fungatur: & dicite impio, quoniam malè, quantumlibet pretioſo in lectulo mortem obeat minimè pretioſam.

7 Neq; illud anxiè introſpiciendum; cur quidam dolorum plenà, & velut inquietà morte decedant. Certè Chriſtus ipſe clamans expirauit. *P. Didacus Martinez*, de quo aliàs, vltimo die, quem craſtinum fore verè prædixit, grauia ſibi dixit ſubeunda eſſe tormenta. Iacebat illo die velut gelidus, abſq; vlla vitæ ſignificatione in venis. Aiebat; ſe intus igne quopiam vri, ac velut piaculari flammà, cruciamentiſq; luſtrari, tantà doloris ſignificatione, vt miſerando ſpectaculo fuerit ijs, qui aderant attoniti. Aiebat, exaggerari ſibi pœnas illas plùs quàm poſſet dicendo id exequi. quare preces pro ſe, preces ab omnibus fieri impenſiùs poſtulauit. Recitatæ ab omnibus Litaniæ, ac animæ commendatio. Rectori deinde retulit; ſe iam

coram

Digitized by Google

coram decretorio throno ſtetiſſe:necdum eſſe datam ſententiam. quapropter pergerent, agonem ſuum ardentiſſimis precibus adiuuare. Sed ad mortes præcipites redeamus. Ioannes Niquettus Biturigenſis Collegij fundator in Societatem quidem admiſſus non eſt, eò quòd per ætatem noſtris munijs par non eſſet; inter noſtros tamen degebat, tanquam de Societate eſſet. Hic anno 1580. paulò ante piè cum quodam de Patribus de morte collocutus, in ſcabello officium diuinum 8. Kal. Martij recitans, repentinò expirauit. Feliciter id illi eueniſſe ſpes magna eſt: quia heſterno die S. Synaxi refectus fuerat; eo die diuino ſacrificio interfuerat; & paucis ante diebus Patri Ioanni Maldonato narrauerat; *viſum ſibi ſecundùm quietem apertum cælum; ſeq; ad gaudia euocari æterna*. Sachin. n. 197.

8 In Pernambucenſi Braſiliæ Collegio *frater vnus* à prandio cùm valens eſſet, atq; integer, ad ſignum Salutationis Angelicæ ante omnium oculos exanimis corruit. Solatio tamen fuit, quòd fuerit virtutis exemplum. Iubilæum recèns acceperat: ac demum ita animo videbatur affectus, vt gratulandum potiùs illi ſit, quàm eius causà dolendum, vt Patres inde in literis perſcripsère. 1574. Sub ſigno ad *Aue Maria* moritur.

9 P. *Franciſcus Cardoſus* in Luſitania Concionator dicendi gratià præſtans, at virtute præſtantior; in Vlyſſiponenſi Profeſſo- Mortuus repertus librum oſtendens.

rum Domo ab æditüo illum ad Sacrificium celebrandum euocante menſę ſuę in cubiculo aſſidens mortuus eſt repertus. Acciti alij repe-rere illum porrecto in apertum librum (erant Biblia, vel Miſſale) digitō, impreſſa iſtic hæc verba monſtrantem: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur*.

Ann. Caliſ. 1607. 10 *P. Iacobus Molerus* Roſarium diuinæ Matri religioſiſſimè recitans, extremum ſpiritum efflauit. Coloniæ *P. Adrianus Horn* 1. Oct. 1655. ætat. 73. vlt. Sept. veſperi Sanctorum diſtributioni adfuit; Patri, cui eo menſe in preces commendabatur palàm, ſe priuatim enixè commendauit; Socio alteri valedicens dixit: *Sancti Angeli Cuſtodiant nos*: manè placidè extinctus repertus eſt, læuà *Deiparæ* corollam tenente, ita vt omni nocte conſueuerat. Eius laudes annuæ celebrant, à pietate, innocentià, ſuauitate, erga regulas tenerà religione, ac reuerentià. Compluti *Petrus Vellon* Coad. feſtis Annuæ 1614. p. 192. diebus horas octo, & interdum plures, coram SS. Euch. Sacramento orationi dabat. Et ibi flectentem, ac orantem occupauit præclara mors.

11 Frequentia ſunt repentinæ mortis exempla à Sanctis etiam obitæ, quæ nonnulli è Sanctorum vitis collegère. Sancti Amatus, Caſſius, Fauſtus, Virgilius, Garganus, Leontius, Stylita, Felix, Iuuentius, Vincentius, Galdinus, Decoroſus, Gauden-

tius,

tius, Agatonicus, Belinus. Cathar. Virgo filia S. Brigittæ, Demetria, Theoclia, Sabina, Hilaria, & alij ac aliæ in ſacris faſtis, ſic obijſſe feruntur. Et ſæpè talis mors melior eſt quàm ſi lenta eſſet; eſtq; ad vitam.

CAPVT XXXVIII.

Apparatio quinta ad mortem felicem; adeſſe moribundis: vt ab ijs mori diſcas, eoſq; iuues.

1 PRofuit *Dominico Ferdinando* noſtro quòd moribundo *P. Petro Manricio* adfuerit. Inceſſit ab illo ſpectaculo & illum cupido moriendi, cùm Patrem adeò religiosè, compoſitè, ac ſanctè mori videret. Petijt ergò, vt, cùm ad *Dei* conſpectum veniſſet, precaretur, vt ipſum quoq; ex hac vita placeret abducere: quod Manricius & promiſit, & præſtitit. Quarto poſt menſe deſiderio moriendi anxius *Dominicus*, mœſtum ſe aiebat, quòd cùm exorandam ſibi à Patre Manricio moriente mortem præſtolaretur, differri nimiùm videret ſpes ſuas. Iam quartum agi menſem; & nihildum agere Manriquum ex eo, quod ſe acturum recepit: ſe enim viuere. Sed vix domum (foris hæc ſocio dixerat) reuertit; cùm proſtratis ſenſim viribus lecto ſe dare coactus, ſperatâ atq;

impe-

impetratà morte breuì potitus eſt. Tanti illi fuit ſemel Patri morienti adſtitiſſe. Inde illi totum illud ferè quatuor menſium interuallum apparatio fuit ad mortem.

2 Morientem vidiſſe *P. Marcum Salinam* profuit etiam adoleſcenti illi, de quo Sacchin. Quo die diuinum moribundo viaticum allatum eſt, inter comitantes aduenit adoleſcens ſolutæ admodùm vitæ: in quem Marcus acriter fixo obtutu, ita agitat caput, ac ſi iubeat mores corrigere. Animaduertère hoc circumſtantes. At adoleſcentem loquax ita perculit nutus, vt, Chriſto, qui præſens aderat, tangente præcordia, erubeſcere, & cohorrere inciperet. Nec multò, in ordinem Franciſcanorum, qui diſcalceati dicuntur, ingreſſus, in eodem vitam religiosè confecit. Ita ille.

P. 2. l. 1. n. 138.

3 Diſcamus nunc à mortuo moribundos libenter, vtiliterq; inuiſere. Philippus Seruius in Prouincia Gallobelgica ait, quendam è Societate Patrem poſt mortem alteri è Societate ſpectatum, dixiſſe; diu ſe grauiſſimam damni pœnam paſſum, excluſum tantiſper à conſpectu *Dei.* Cauſa hæc eſt *quòd in viſendis, iuuandiſq; moribundis, dum vita ſinebat, tardior fuerim, ac negligentior. quam tarditatem, ac negligentiam, vt expiarem, iuſsit* Deus, *vt animam agentibus præſtò eſſem, eoſq; in morem Angeli Tutelaris adiuuarem. Sunt, non modò ex noſtro, ſed etiam ex alijs ordinibus benè multi, qui*

Amici fidelis p. 1. pag. 15.

Pœna negligentiæ in morientibus adiuuandis.

etiam-

etiamnum indiligentiam ſuam in viſendis,ſolandiſq; moribundis, ſimili modo expiant. Sic ille. *Conſolare illum in exitu ſpiritus ſui*. Eccli. 38. 24.

4 Nunc è cælo petendum documentum, quod nos ad morientium lectulos inuitat. Apud P. *Ludouicum de Ponte* fideli cuidam ſuę dixit *Deus*: *Veni, vt interſis morti cuiuſdam fidelis ſerui mei*. Idem ego tibi aio, Lector: *Veni, vt interſis*, quà in lectione huius libelli, quà in crebra morientium viſitatione, *morti quorundam fidelium Seruorum Dei*: vt ab illis diſcas te ad patientiam, ad agonem, ad mortem, ad æternam vitam componere. Vidit illa ſpiritu ad morientis *Balthaſari* ſpectaculum abrepta, ægrum illum in lecto iacentem, & multos è ſacro ordine ſplendore magno conſpicuos, atq; vnum præ reliquis *S.P.Ignatium*. Hic dextram ægri Patris manum tenuit, & erexit: reliqui verò cæleſti coronâ cum Angelis lectulum ambientes, felicem animam cum ſymphoniâ ſuauiſſimâ cælo inuexère; corpore etiam ab Angelis vncto, & thuris odoramentis honorato. Et tum primùm Prouincialem Societatis *Ieſu* Prouinciæ Toletanę illum eſſe intellexit; ac *P. Riuerio* Confeſſario ſuo retulit: qui allato poſtea mortis *P. Balthaſaris* nuncio, collatis inter ſe temporibus, illius fuiſſe mortem illam adeò pretioſam intellexit. Vitæ Balthaſ. Aluarez c. 53. §. 1.

5 Atq; omninò his nos ad ſacrum quen- 1613.

dam

Digitized by Google

dam calorem prouocamur. *P. Bernardinum Roſignolium* Taurini morientem P. Ioſephus Alamannus ita vidit, vt ipſo in articulo cùm ille expiraret, Ioſephus à ſomno experrectus conſpexerit globum igneum ad ſe venientem: cuius ille aſpectu ſe non turbari, ſed intimè exhilarari ſentiebat; globumq; intrepidè ac tenerè complexus, inclamabat: *Pater mi, currus Iſrael, & auriga eius.* Adfuit mox qui id quod erat, nunciabat: cui P. Ioſephus; nihil id ſibi noui eſſe, id enim ſe iam ſcire dixit: & cuidam narrauit, quid vidiſſet, & quomodo toto animo exarſiſſet. Enimuerò dum adſumus morientibus, fit, vt dum ipſi extinguuntur morientes, nos feliciter accendant ad vitam. Conimbricæ ad Beatiſs. V. amorem accenſus eſt Pater ille qui M. Antonio Miloni morienti adfuit; & ſingulare ſibi erga *Deiparam* ſtudium ab illo, vbi in cælum appulerit,
1597. impetrari petiuit. Mortuo Magiſtro Antonio Pater ille ardentiorem indies flammam ſibi creſcere in pectore ſentiebat erga Virginem *Dei* Matrem religiosè, præ quàm hactenus, colendam. id quod illi moriens ille promiſerat.

1591. 6 *M. Alexander Poſſeuinus* Humanitatis Profeſſor, elegantiſſimæ virtutis amabile ſolidumq; exemplum Patri Mario Florido Peruſij dixit; vt ſarcinas, eo anno migraturus, colligeret: idem ſibi euenturum. Obijt eo

anno

anno P.Marius. Et Alexander ſequutus breuì decubuit. In moleſtijs morbi dicebat Confeſſario ſuo;cogitare ſe de P.Edmundo Campiano,alijſq; de Societate in fidei odium trucidatis, quos videre ſibi velut in agone videbatur, quaſi addentes animum ad ſupremum certamen, vt aiunt annuæ Peruſinæ. Ei cùm appropinquaſſet certamini, ſublatis oculis in cælum, lætus, & *Deo* gratias agens, ter dixit: *Deo*! *Deo*! *Deo*! & ad *Deum* abijt. Hoc tibi proderit aliorum agonibus non tantùm animo, ſed coràm intereſſe, vt illos poſtea in agone habeas adhortatores; & pugnes, *Deo*! Vincas, *Deo*! moriaris vt viuas, *Deo*! Etiam ad mortem felicem iter eſt breuius per exempla, longè verò breuiſſimum per domeſtica. Certè ſuauiſſimæ, ſanctiſſimæq; memoriæ Vvilhelmus Bauariæ Dux LIX. poſtquam iam ante 29. annos ſancto receptui ceciniſſet, & corpus admirabilibus, quæ vel ipſius Lauræ Aſcetis ſufficere poterant, modis cruciaſſet, LXXVIII. ætatis annum aſſecutus, de itinere æternitatis ſollicitus, quæſiuit iam abituriens ex moderatore conſcientiæ ſuæ; *quo ſe ſe ritu Noſtri ad illud iter compararent?* eundemq;, vt ſecuriſſimum, amplexus, nullà re omiſsà, quæ iuuare hinc decedentes poteſt, Sereniſſimis filijs præſentibus, inter noſtrorum Patrum vota, placidiſſimo fine viuere deſijt. Adeò pretioſum ille duxit ad

3. Auguſti.

Bruner in Excubiis 60. heroum.

7. Febr. 1626.

noſtrorum exemplum mori; ſic *Ieſum* imitaturus in morientibus Socijs *Ieſu*. Felix ille Phœnix, qui ſibi ex optimi odoris exemplis cinnama colligit morituro; & quod ſuo non poteſt, diſcit experimento aliorum, quibus id benè ſucceſſit. Omnes illi è mortualibus lectulis vltimo illo ſingultu tibi clamant: *Hac ibis in domum æternitatis tuæ! Me ſequeris.* Quam in rem ſpectat, id quod de *M. Elia Nitſch* Styro inquiunt annuæ: Hic eruditione, & religionis bono conſpicuus, menſe integro, antequàm accideret, ſuæ mortis diem manu ſuà conſignauit. Viderat enim ſeptimo idus Februarij ſe per quietem à *P. Nicolao Limburgio* haud multò ante vità functo, arrepto brachio trahi, ſeq; verbis admoneri: *Menſe ab hinc me ſequeris.* Non vana fuit admonitio: nam ad initium noui menſis, dum Sanctorum, de more, patrocinia diſtribuuntur, Eliæ, cum patrocinio D. Thomæ Aquinatis, de morte ſententia, virtus verò ſubiecta, *mortis meditatio* ſortitò obtigit. quare, elapſo menſe (*menſe abhinc me ſequeris*) 7. Martij, ipſo D. Thomæ Patrono ſacro, quatuor dierum morbo finem viuendi fecit. Hic certè menſem vltimum tanquam verè vltimum in terris, cæleſti vità viuere à mortuo didicit. Idem tibi dicunt omnes è ſuis valetudinarijs, & lectulis in totà Societate morientes, quod iſti vnus nuper mortuus dixit.

[Margin: Annuæ Vienn. *1599.* — 7. Febr. — *Viue tanquàm vltimo menſe vitæ tuæ.*]

7. Ca-

7 Caliſſij duo Patres, qui P. *Blaſij Plozzymij* 22. Oct. (quam ille diem ſibi terminalem fore prædixerat) morientis agoni adfuere, cùm per morientis illius merita à *Deo* donum intimi doloris de peccatis expoſcerent, ſtatim inuſitatà lachrymarum copià ſunt perfuſi. Circa annum 1619. Duaci morienti P. *Henrico Asbroeck* qui adfuère magnum moriendi ac mundi contemnendi deſiderium inde hauſère. Oblatas ſibi à ſodalibus Philoſophis quibus præerat, preces, *Deo* ſtatim obtulit vt citiùs & meliùs moreretur. Patri, qui ei in ſodalitatis rectione ſuccedebat, ſupremum pro ſodalibus documentum petenti, ducto altè ſuſpirio; Magnam, ait, rem faceres, Pater, ſi adoleſcentibus iſtis perſuadere poſſes contemptum vanitatum huius mundi. Putant enim aliquid eſſe: *& nihil eſt, & nihil eſt, & nihil eſt*. Sic philoſophantur morientes. quo de argumento, ſit

22. Oct. 1634.

CAPVT XXXIX.

Præparatio ſexta: Monita morientium legere, ac illa ſequi.

1 PRæterea morientium monita, quæ paſſim hactenus relata ſunt, pauca hæc legiſſe iuuabit. *Ioſephus Martinius* adoleſcens illuſtriſſimus Societati adſcriptus, ſub

Quotidiana Christi paſsi recordatio. Obedientia.

mortem roganti ſocio, vt aliquod monitum ſibi relinqueret, duo commendauit: *Nullum vt diem ſinè Chriſti Domini Paſsionis memoria labi ſineret*. Deinde *obedientiam vnicè amaret*. addens, experimento ſe didiciſſe, hanc viam eſſe, quà homo diuinæ prouidentiæ ſingulares effectus ſentiret. Et verò poſtea tentanti illum de ſui æſtimatione dæmoni, Crucifixi meritis & Sanguine oſtenſo, reſpondit, ac vicit; colloquio etiam ad Crucifixum conceptiſſimis verbis, ac ſenſibus inſtituto, quo ſpem ſuam omnem ibi, tantùm ibi, totam ibi radicatam, fundatam, fixam eſſe dicebat.

Hiſt. p. 4. l. 3. a n. 185.

2 *P. Ludouicus Conſaluius*, dum ſacrà vnctione muniretur, fratres magno numero circumfuſos, *ad perſeuerantiam, vtq; veri, ac germani eſſent Ignatij filij, & ſui ipſorum victoriæ ſtudioſi*; cohortatus eſt.

8. Maii 1625. annuæ Treuir.

3 Cum aſcendente Chriſto aſcenſum in Cælum adornanti *Ioanni Blecſcman* Nouitio, cùm præclararum in eo virtutum exempla vidiſſent omnes, iuſſit Rector, vt præſentibus ſocijs aliquod pro ſuprema allocutione mnemoſynon relinqueret. collegit, quas potuit, vires ad obediendum, & dixit: *Agere quod agis accuratè, perfectèq;, res mihi vna videtur eſſe, quà & ſanctè viuimus, & ſecurè morimur*.

Optimè agere quicquid agis.

2. Apr. 1626.

4 *P. Didacus Martinez*, inter vltima, ſociorum coronam ita eſt allocutus: *Vt vnuſ-*

quiſq;

quiſq; nomen bonæ Matris Societatis Ieſu *in ſe ſollicitè tueretur : plurimùmq; inde pendere.* quæ ille cùm diceret, lachrymis verba aſperſit, & cum lachrymis auditus eſt.

5 *P. Gerardus Thyllois* Catalauni magnà cum opinione conſummatæ virtutis, acerbiſſimos inter dolores moriens; *Deo* primùm, deinde ſuis, quibus Rector præerat, ſupremà cohortatione, ita locutus eſt: *Domine*, aiebat æſtuanti à doloribus voce ad *Deum*, *Domine tu noſti, quàm parùm, aut diutiùs viuere, aut minùs pati velim!* Deinde Patrum ſingulos, fratrumq; complexus, voce fortiori, quàm morientium eſſe conſueuerit; *Diſcite*, inquiebat, *non iam à me, ſed à Magiſtro meo, veſtroq; omnium, quoniam mitis ſum, & humilis corde. Hoc ego ab initio ſuſcepi; hoc animo defixi, hoc excolui: hoc vobis relinquo: per hoc perſeuerantiam, per hoc verum, germanumq; Societatis ſpiritum recipietis.* Hæc poſtremò dixit, & obijt. 2. Dec. 1622.

6 *P. Franciſcus Maſtrillus* Neapoli mortis accepto nuncio, præ gaudio, proximi Patris manum exoſculatus exclamauit: *O me felicem, felicem! O Domus Domini! Domus* Mariæ *Virginis, quando te conſpiciam? O mortem in Religione beatam!* Fratre ſuo Marchione lachrymante; Nemo, inquit, pro me Cælum conſcendente lachrymetur! Mox ad Nouitios, qui aderant: *En, filioli! obſeruantiam* 1. Iunii 1622.

ſingu-

ſingularem; & pietatem in B. Virginem! duo hæc ſeruate: & viuite ſecuri.

7 Eſto & hoc inter monita morientium; vt pro morientibus oremus. moriens *P. Ludouicus Corbinellus* B. Aloyſio tertiò viſus eſt, vehementi dolore velut æſtuans, & dicens: *Tempus eſt, mi frater, iam me* Deo *enixè commendandi; eumq; adorandi, vt hanc acerbitatem grauis & periculoſi doloris, quo diſcrutior, patienti fortiq; animo ferre poſſim; quandò, niſi ſingulari* Dei *ope confirmer, eum, prout par eſt, me ferre poſſe diffidam.* Paulò poſt iterùm ſe illi oſtendit, vehementiùs etiam, quàm priùs obteſtans, vt ardentibus precibus ſubſidio veniret. Deniq; tertiùm Aloyſium ſic compellat: *Iam, iam, mi frater, huius miſeræ vitæ calcem propè contingo. Ora* Deum, *vt hanc migrationem feliciter euenire, proq; ſuà benignitate, me immortali gloriâ beare velit. Ibi me pro te viciſſim precari non fugiet.* Et illâ ipsâ nocte mortuus eſt P. Corbinellus: de quo B. Aloyſius P. Bellarmino dixit: abſq; mora Purgatorium tranſijſſe. O quibus verbis à te iuuari peterent omnes, qui nunc in vltimo puncto ſudant, ſi illis opem à te petere eſſet conceſſum!

...fficium ...um accu- ...tè exequi ...! egregia ...ręparatio ...d mor- ...em.

8 Nobile pro viuis à moriente datum documentum eſt; omnia Officij noſtri munia perquiſitè facere ad maiorem *Dei* gloriam, diuino amore nos mouente, docente, idq; imperan-

perante quod facimus, vt quàm optimè faciamus. Sic enim etiam res aliàs nihili, fiunt pretioſæ. Docuit hoc factis *Ioannes de Soto* Coadiutor Hiſpanus Sartor exquiſitæ diligentiæ, atq; ad intentionis puritatem accuratè attentus. Hic morti iam vicinus, peractis ijs, quæ poſtulat illius articuli magna neceſſitas, *acum* ſibi ſuam dari petijt, quà ille Sartoris officium ſummà quà poterat accuratione, integritate, ac intentione puriſſimà fuerat executus. Et acum tandem impetratam manibus tenens: *Hæc*, aiebat magnæ plenus fiduciæ, *hæc mihi erit clauis ad Cælum. Hac ego ſpero fore, vt mihi portas paradiſi aperiam. Cum hac volo mori: quia cum hac debeo quærere Chriſtum Redemptorem meum. Nihil enim vnquam acu hac feci, quod non fecerim amore* Dei: *nec vnquam illam vel ſemel in panno defixi, aut eà filum duxi, aliâ de cauſà, quàm vt illi placerem, illi ſatisfacerem, æquè atq; ſi ipſum Chriſtum veſtirem.* Sic obijt.

9 Neapoli moriens *Antonius Apicella* magnæ virtutis Nouitius, cùm ad allatum mortis nuntium gaudio geſtiret, rogareturq; ab alijs, vt aliquid in extremo vitæ articulo tyronibus relinqueret documenti, nullum ſe melius conſilium relinquere poſſe aiebat, quàm hortari; *vt Sanctiſsimæ Euchariſtiæ, ac B. Virginis eſſent maximè ſtudioſi.* 1605.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XL.

De ſatisfactione per morbum, dolores &c. & de peccatis confeſſis.

1 FLagella quæcunq; ſiue à *Deo*, ſiue ex cauſis naturalibus, liberiſuè, aut quocunq; demum ex capite, iuſtè, iniuſtè, caſu, ex intentione proueniant; ſiue ſint publicæ calamitates, ſiue priuatæ, vt peſtis, bellum, fames, ſitis, dolores, mors ipſa; & quæcunq; temporalia ſunt flagella; omnibus ijs *à nobis patienter toleratis poſſe ſatisfieri* pro peccatis docet Concil. Trid. & cum illo Suarez, Card. de Lugo, Coninck; & apud hos alij, dum tractant; an, & quomodo paſſiones, & pœnæ ab extrinſeco, & neceſſariò prouenientes (vt eſt mors) poſſint eſſe ſatisfactoriæ. Nam dum flagella illa, dolores, morbum, mortem acceptas, patienter ſuſtinendo, conſentis *Deo* in illa pœna ſeu flagello, fiſq; & ipſe æquiualenter cauſa illius flagelli à *Deo* inflicti: & licèt ipſa pœna à tua voluntate non procedat; procedit tamen à tua voluntate illius acceptatio, patientia, & voluntatis ad diuinam ſubiectio, ſeu conſenſio cum *Deo* pœnam hanc infligente. Quo fit vt pœnæ illius illatio, ſiue inflictio, ſic noſtra quodammodo cenſeatur. Etiam Catechiſm. Rom. ait *eos qui patienti animo quicquid laborioſi, & incommodi* Deus *immiſerit, ferant, amplam*

Suar. de poenit. diſp. 37. & 38.

Seſs. 14. c. 9.

Lugo de poenit. diſp. 24. ſect. 5. Coningh de ſatisf. diſp. 10. dub. 4.

Hic pag. 292. poſt medium.

amplam ſatisfaciendi, & merendi materiam nactos eſſe.

2 Imò hìc duplex eſt ſatisfactio. Cenſeo enim per flagella omnia, quæcunq; illa ſint, etiam ſi ea neceſſariò, ſeu non ex tua electione, patiaris (vt famem, ſitim, dolores, morbos, mortem) ſi ea patienter acceptes, & ſuſtineas, ſatisfacere te pro peccatis tuis non ſolùm ratione actus interioris pœnam voluntariè acceptantis, verùm etiam per ſe & formaliter, per ipſam exteriorem paſſionem patienter toleratam; ſi patiens ac voluntaria illa flagellorum à *Deo* immiſſorum, vel quademumcunq; ex causà ortorum, ſuſceptio ac tolerantia ita duret, vt illam non reuoces per aliquem actum contrarium, qui deſtruat poſitiuum illum actum bonæ voluntatis tuæ flagellum illud poſitiuè acceptantis cum ſubmiſſione voluntatis ad diuinam, & patientià. Creſcit enim ſatisfactio per paſſionem externi illius flagelli quamdiu actus patientiæ manet in effectu, licèt ipſe actus præterierit; hoc eſt, vt loquitur de Lugo, quamdiu ex actu patientiæ ſeu acceptationis præterito prouenit, quòd nunc non indignetur homo, nec prorumpat in aliquam impatientiam: quia ſicut paſſio ſpontè ſuſcepta auget ſatisfactionem, etiam tranſacto actu interno, quamdiu paſſio externa procedit ab illa voluntate præterita: ſic dicendum erit quòd

Vid Soarez, diſp. 37. ſect. 7.

Lugo diſp. 24. n. 78.

Digitized by Google

voluntas præterita cohibendo impatientiam cauſa eſt quòd hìc & nunc patiatur homo abſq; illo qualicunq; ſolatio indignationis.

3 Nec ceſſat ſatisfactionis vis ex eo quòd ille dolor te ſopiat, quòd in agone mortis dum extrema pateris non ſis tibi mente ita præſens, vt actu poſſis dolores, & mortem de manu *Dei* cum ſubmiſſione & patientià libenter acceptare. Durant enim adhuc actus illi præteriti quibus patienter à *Deo* acceptaſti legem quà ſtatuit omnibus hominibus ſemel mori; tuamq; voluntatem, vitam, mortem, & quicquid in illa paſſurus es, illi obtuliſti. Qua in re latè probat de Lugo non requiri permanentiam voluntatis ad augmentum nouum ſatisfactionis quamdiu homo ex voluntate laudabili patitur de nouo. Vnde augeri quoq; ſatisfactionem per dolorem tempore quo homo dormit: vt ſi quis velit dormire cum cilicio, aut veſtitus, etiam dum dormit, & patitur illud incommodum, vel dolorem; ſatisfacit: quia tunc etiam illa paſſio eſt voluntaria à voluntate præcedenti, quod ſufficit. Sic ille.

Diſp. 24. à n. 48.

4 An autem hæc ſatisfactio fieri poſſit non tantùm ex opere ipſius operantis, verùm etiam ex opere operato ſi quæras; Reſpondeo: Si hæc ſatisfactio à confeſſario tibi pro pœnitentia imponatur, fit ſatisfactio Sacramentalis, eleuata virtute clauium ad vim

altio-

altiorem, vt ſatisfaciat ex opere operato, habens vim ſupra condignitatem operis, authoritate Chriſti per confeſſarium operantis. Sicut verò non poteſt eleuari ad ſatisfaciendum ex opere operato id quod ex ſe non eſt aptum ad ſatisfactionem ex opere operantis; ita quod eſt aptum ad illam ſatisfactionem, poteſt eleuari ad iſtam per Sacramentum. Iam ſic: Ex mente bonæ Theologiæ; *nullum eſt opus honeſtum quod confeſſarius non poſsit in pænitentiam, & ſatisfactionem imponere, ſi pænitens illud acceptet*: Atqui flagella temporalia omnia, fames, ſitis, morbi, dolores, mors ipſa patienter & cum debità voluntatis noſtræ ad diuinam ſubiectione acceptata, eſt opus honeſtum: ergò poteſt hæc omnia confeſſarius in pœnitentiam, & ſatisfactionem imponere, ſi acceptes; adeòq; facere, vt ſit ſatisfactio ex opere operato. Quòd voluntatis illa acceptatio ſit opus honeſtum, etiam in malis ijs acceptandis quæ nobis proueniunt ex cauſis naturalibus neceſſarijs, qualia mala ſunt morbi, & mors; probari poteſt ex laudato de Lugo. Per illas enim cauſas naturales neceſſarias propriſſimè operatur ipſe *Deus*, qui & fecit, & conſeruat, & diſponit, & vult illas cauſas, & earum ſeriem ex qua neceſſariò conſequitur talis effectus, (v. g. doloris, mortis) atq; adeò vult illum effectum, & cau-

De Lugo diſp. 15. n. 107.

Diſp. 24. n. 51.

Vid. ibid. n. 41.

Ibid. n. 81.

Digitized by Google

& cauſat illum . quare homo laudabiliter ſe conformat eius voluntati, dum vult pati id quod *Deus* ex ſe voluit per cauſas ſecundas, et cum eiſdem cauſis ipſi inferre.

de pœnit. diſp. 38. ſect. 6. n. 1.

5 Soarez quoq; de operibus in ſatisfactionem imponendis agens, ait quòd hæc ſatisfactio Sacramentalis habeat pro materia opus de ſe ſatisfactorium ex opere operantis, quod opus per virtutem clauium eleuatur. Iam autem antea præmiſerat; per paſſiones, et pœnas, etiam illas quas quis neceſſariò patitur (quales ſunt morbi, et mors) poſſe *Deo* ſatisfacere, ex quibuſcunq; cauſis proueniant. Vnde, *ſi flagella*, inquit S. Thomas, *quæ pro peccatis à* Deo *infliguntur fiant aliquomodo ipſius patientis, rationem ſatisfactionis accipiunt. Fiunt autem ipſius, in quantum ea acceptat ad purgationem peccatorum, eis vtens patienter.* Et ſtatim poſt; *Dicendum*, inquit; *quòd quamuis illa flagella non ſint omninò in poteſtate noſtra, tamen quantum ad aliquid, ſunt; cùm ſcilicet eis patienter vtimur; & ſic homo facit de neceſsitate virtutem, vnde & meritoria, & ſatisfactoria eſſe poſſunt.*

diſp 37. ſect. 7.

In 4. ſent. diſt. 15. q. 1. ad 2. quæſt.

Ibid. ad 1.

diſp. 38. ſect. 6. n. 6.

6 Ex eodem S. Thoma, et alijs, ait Soarez per clauſulam generalem *quicquid boni feceris, & mali ſuſtinueris* eleuari opera ad ſatisfactionem ex opere operato, quoad ſatisfactionem pro peccatis in illa confeſſione confeſſis. Quòd item ſatisfactionis effectus

ctus ex opere operato ſit remiſſio alicuius pœnæ temporalis, conferatq; etiam ex opere operato aliquam gratiam gratum facientem, probat ibid. ſect. 2. citato S. Thoma, & alijs. Atq; hæc de primo dubio. de quo aliquid attigi cap. 1. Scio non defuiſſe qui id ſibi ægrè perſuaſerint. Nunc de illis quibus deficit materia abſolutionis à confeſſione vltimà, eòq; peccata aliqua aliàs confeſſa recenſent, ad ea quæ c. 2. maximè n. 8. dixi, addo; vt ea in re communem piorum, & doctorum praxim ſtabiliam:

7 *Peccata iam confeſſa poſſunt iterùm ſubijci clauibus*. Nec enim eſt contra mentem ſanæ Theologiæ quod hic affero de quibuſdam qui peccata iam aliàs confeſſa iterùm confeſſioni ſubijciunt. Nam tametſi quidam contra ſenſerint, & aliqui etiamnum timidi hæreant; tamen *communem, & certam* ſententiam eſſe ait Soarez, quòd peccata iam ſemel confeſſa ſint ſufficiens materia, ſi quis velit ea iterùm confiteri. Imò Benedictus XI. ibi laudatus ait eſſe *ſalubrem talem confeſsionem*. Addit, confirmari hoc etiam Catholicorum, & piorum omnium conſuetudine. Nec verò ſolùm coniuncta cum alijs, ſed etiã per ſe ſola ſufficere poſſe ait ad hoc Sacramentum, adductis pro ſe Caietano, atq; Medina. Nec eſſe vllum inconueniens quòd per iteratam confeſſionem eiuſdem peccati tota

Vid. c. 2. n. 2. & 8.

Soarez de pœnit. diſp. 18. ſ. 1. n. 6. Tanner hic diſp. 6 num. 28.

Hæc eſt ars frequenter, & vtiliter confitendi.

n. 10.

pœna

pœna illi debita tandem remittatur ; imò hunc fortaſſe eſſe vnum finem talis inſtitutionis. Ideò enim conceſſum eſſe dicit vt eadem peccata poſſent ſæpiùs eſſe materia confeſſionis, vt perfectior eorum remiſſio comparari poſſet, & vt ita inducerentur homines ad pœnitentiam eorum ſæpiùs agendam. Sed hac de re, vt apud peritos ferè vix iam dubia, ſatis.

CAPVT XLI.

Preces ab ægro, cum ægro, vel apud ægrum dicendæ.

1 PRimum locum habent ea, quæ in Rituali, pro articulo illo præſcribit vſus Eccleſię. Suggero preces alias; quò pauca è pluribus, vt ægro lubet, ac ij, qui illi adſunt, iudicant, ſeligantur. Plerisq; ſub mortem vſi ſunt Noſtri. Erunt inſtar Soliloquiorum.

2 Oratiò illa: *Anima Chriſti, ſanctifica me*; frequenter in vſu fuit S. P. Ignatio: et illam *P. Albertus Mroſcouius* in ipſo agone ſibi inculcari iuſſit, quam etiam maiuſculo exaratam charactere ad lectuli ſui pedes è Crucifixi pendentem imagine legebat æger *P. Simeon Riuiere*: et cùm ipſe iam illam pronunciare non poſſet, ad id alios inuitabat; *Ieſu*, ac *Mariæ* nominibus incredibili crebritate

2. Febr. 1608. Sandomiriæ.

Annuæ Auscit. 1610.

tate,ac pietate frequentandis toto vltimo vitæ ſuæ anno ſingulis horis conſtanter addictus; et in ipſo mortis procinctu moneus: *Fugiamus vanam gloriam*: ſibiq; inter extrema illud ad aures iteratò inculcari petens: *Abſit mihi gloriari, niſi in Cruce D.N.* Ieſu *Chriſti. Gloriabor in infirmitatibus meis.*

3 Iuuat per ſecundum modum orandi, ex vocum orationis ſingularum perpensà ſignificatione, *Pater noſter, Aue Maria, Credo, Salue Regina* pronunciare; vel etiam *Litanias* Lauretanas, aùt omnium Sanctorum, et *Aue maris Stella.*

4 *P. Ioan. Ludouicus Minius* animam egit cùm *Stabat Mater doloroſa* canentes audiret, atq; ipſe quoq; ſupremis vocibus, quà poterat, reſponderet. 18. Martii 1655. annuæ Rom.

5 *Cum S. P. Ign.* En, ò Rex ſupreme, ac Domine vniuerſorum, tuà ego, licèt indigniſſimus, fretus tamen gratià, et ope, me tibi penitus offero, meaq; omnia tuæ ſubijcio voluntati, atteſtans coram infinità bonitate tuà, nec non in conſpectu glorioſæ Virginis Matris tuę, totiuſq; curię cęleſtis, hunc eſſe animum meũ, hoc deſiderium, hoc certiſſimum decretum. Omnia vitæ ac mortis noſtræ momenta offerenda Deo.

6 Veni, Sancte Spiritus, et emitte cælitus Lucis tuę radium, etc. vt in Miſſali Dom. Pent.

7 Veni Creator Spiritus, etc. Breu. Rom. Dom. Pent. quem hymnum S. Xauerius dicebat quotidie ante diuinum officium.

8. *Cum*

8 *Cum B. Stanislao moriente* : *Deus*, qui pro redemptione mundi voluiſti naſci, circumcidi, etc. *ex offic. B. V.*

9 *Omnipotens ſempiterne* Deus, *&c.* vt eſt formula votorum ſimplicium.

Pſ. 50. 10 *Miſerere*. pro Indulgentijs Societatis, et 5. Sanctorum.

11 B. Aloyſius hymno *Ad perennis vitæ fontem*, delectabatur.

Vid. S. Aug. medit. c. 26.

12 Non me mouet, Domine, ad amandum te, cælum, quod mihi promiſiſti: nec horrendus infernus mouet me, vt non offendam te. Tu me moues, mi *Deus*! Mouet me quòd videam te Cruci clauis affixum; et excarnificatum. Mouet me, quòd videam corpus tuum tam vulneratum. Mouent me opprobria tua, et mors tua. Deniq; mouent me hæc, mi *Deus*! et ita mouẽt, vt ſi non eſſet infernus vllus, tamen adhuc timerem te; et ſi nullum eſſet cælũ, adhuc amarem te. Non habes, quod mihi des, pro quo te amem. Quia tametſi ea, quę ſpero, non ſperarem, ęquè atq; nunc te amo te amarem.

Eſt S. Franciſci Xauerii ex hymno Hiſpanico ferè ad verbum: vel, vt alii aiunt, S. P. Ignatii.

S. Xauerii. annuæ Neap. 1634.

13 Aue, lignum Crucis; aue, Crux pretioſiſſima: me totum tibi dedico in perpetuum.

14 Sanctos in 24. horas diei diſtributè partiri, res fuit in Societate vſitata pluribus, vt vidimus, pro mortis felicis induſtriâ, cum

C. 14. n. 6. Alphonſo Rodriguez, et cum P. Siluio Brunorio

Digitized by Google

norio *Spiritualis Horologij* authore, ac alijs. Eius horologij hi ferè modi eſſe poterunt pro 24. horis è Sanctis menſium ſingulorum. Horologium ſpirituale.

Circumciſe, & à tribus Magis adorate Ieſu; *miſerere mei nunc, & in hora mortis meæ*. Ex Ianuario pro hora 1.

S. Arcadi M. S. Paule Conuerſe, S. Ioannes Chryſoſtome; impetrate mihi pro morte optimam præparationem. Pro hora. 2.

Purificata Virgo Mater; impetra mihi pro felici morte cor mundum. Februario pro hora 3.

SS. Ioannes, Iacobe, & Paule M.M. Crucifixi: impetrate mihi pro felici morte amorem Crucifixi Ieſu. Pro h. 4.

S. MARIA ab Angelo ſalutata; impetra mihi pro felici morte, id quod mihi maximè neceſſarium eſt. Martio. pro hora 5.

S. Ioſeph, & Ioachim; impetrate mihi pro felici morte amorem verum erga Matrem Dei. Pro hora 6.

S. Marce, S. Georgi, S. Franciſce de Paula; impetrate mihi pro felici morte charitatem. Aprili. pro hora 7.

S. Catharina Senenſis; impetra mihi pro felici morte cor ſecundùm cor Ieſu. Pro hora 8.

SS. Philippe, Iacobe, & Ioannes Apoſtoli; impetrate mihi pro felici morte patientiam inuictam. Maio. pro hora 9.

S. Michaël; impetra mihi pro felici morte contra dæmonem victoriam. Pro horâ 10.

S. Ioannes Bapt. & B. Aloyſi; impetrate mihi pro felici morte conſcientiam etiam à venialibus peccatis mundam, & innocentem. Iunio. pro hora 11.

Digitized by Google

Pro hora 12. *SS. Petre & Paule Apoſtoli; impetrate mihi pro felici morte fidem viuam & ſolidam, quà tentationibus reſiſtam.*

Ex Iulio. pro hora 13. vel 1. *S. MARIA Eliſabetham viſitans, & Magnificat canens; impetra mihi pro felici morte, vt migrans ex hac vita anima mea Dominum magnificet, ac poſt mortem exultet ſpiritus meus in* Deo *ſalutari meo.*

Pro hora 14. vel 2. *S. P. Ignati, & omnes* Electi Dei è *Societate* Ieſu; *impetrate mihi pro felici morte, vt maiorem* Dei *gloriam verè quæram vſq; ad mortem.*

Auguſto. pro hora 15. vel 3. *S. MARIA Maior, & in Cælum Aſſumpta; & B. Stanislae; impetrate mihi pro felici morte id, quod ad maiorem* Dei *gloriam, & ſalutem meam optimum eſſe noſtis.*

Pro hora 16. uel 4. *S. Ioannes Bapt. & S. Bartholomæe Apoſt. impetrate mihi pro felici morte veram pœnitentiam, & contritionem.*

Septembri. pro hora 17. uel 5. *S. MARIA naſcens; impetra mihi pro felici morte bonum* Patrem *Spiritualem, qui mihi adſit; & fac, vt illi benè obediam.*

Pro hora 18. uel 6. *S. Michaël Archang. S.* Hieronyme; *impetrate mihi pro felici morte verum ſpiritum orationis.*

Octobri. pro hora 19. uel 7. *S. Angele mi Cuſtos; impetra mihi pro felici morte, vt inſpirationibus tuis ſanctè obediam.*

B. Franciſce Borgia, & S. Vrſula ac Sociæ;

Pro hora 20. uel 8. *impetrate mihi pro felici morte, vt ad illam quotidie ſim paratus.*

Nouemb. *Omnes SS. & Sanctæ* Dei; *impetrate mihi, vt vos*

Digitized by Google

vt vos omnes ita colam in vita, vt in morte habeam protectores. Pro hora 21. uel 9.

S. MARIA in templo præſentata; impetra mihi talem in diuinis diligentiam, vt quácunq; horà moriar, in templo Filij tui merear præſentari. Pro hora 22. uel 10.

S. MARIA ſemper immaculata; & S. Franciſce Xaueri; impetrate mihi, vt nunc & in hora mortis immaculatus inueniar. ex Decemb. pro hora 23. uel 11.

Ieſu Fili Dei *viui, & Mariæ Virginis; Maria Ieſu Mater, & vos omnes SS. & SS.* Dei; *ſitis cuſtodes cordis mei nunc, & in hora mortis meæ. Amen.* Pro hora 24. uel 12.

Vel, ſi lubet, ſic diſtribue.

S. Maria, & Omnes Sancti *SSS. Trinitati*, & Beatiſſimæ Virgini ſingulari olim pietate addicti; eſtote cuſtodes cordis mei, nunc, & in hora mortis meæ. Pro 1. hora

S. Angele mi Cuſtos, S. Michaël, Gabriel, Raphaël, S. Angele Cuſtos Eccleſiæ, Patriæ meæ, Societatis *Ieſu*, huius vrbis, & Domus; & omnes SS. Beatorum Spiritum ordines, omniumq; amicorum meorum, eorum qui mecum verſantur, & omnium prædeſtinatorum Cuſtodes: Eſtote cuſtodes cordis mei nunc & in hora mortis meæ. Pro 2.

Omnes SS. Pœnitentes, innocentes, & à quibus aliquod beneficium vnquam accepi; Eſtote cuſtodes cordis mei, &c. pro 3.

Omnes SS. quos in morte maioribus, pro 4.

quàm alios doloribus, vel cæleſtibus delicijs cumulauit *Deus*. Eſtote cuſtodes cordis mei, &c.

Pro 5. Omnes SS. quibus in morte Chriſtus, vel Beatiſſima Virgo, vel Sanctorum aliquis apparuit; vel quos quocunq; modo ſingulari ad benè moriendum iuuit. Eſtote, &c.

Pro 6. Omnes Sancti, aliquam calumniam, perſecutionem, vel tentationem fortiter paſſi. Eſtote cuſtodes cordis mei, &c.

Pro 7. Omnes Sancti, qui eos, qui in horrendo mortis agone verſantur, ſoletis ſingulariter adiuuare. Eſtote cuſtodes cordis mei, &c.

pro 8. Omnes Sancti, ſingulari olim zelo, doctrinà, & Sanctitate præſtantes.. Eſtote, etc.

pro 9. Omnes Sancti qui ad beatam vitam per ignem purgatorij penetraſtis. Eſtote, etc.

pro 10. Omnes Sancti, qui in charitate erga *Deum*, et in ea, cui acquirendæ hoc menſe incumbo virtute ſingulariter excelluiſtis. Eſtote cuſtodes cordis mei, etc.

pro 11. Omnes Sancti, qui heroicis quibuſdam excelſæ virtutis actibus eminuiſtis. Eſtote, etc.

pro 12. Omnes Sancti, in quorum laudem vnquam aliquid cogitaui, dixi, ſcripſi, audiui; quorum vnquam reliquias viſitaui, colui; quos à me ſingulari ſtudio coli vult *Deus*, et Beatiſſima *Dei* Mater. Eſtote cuſtodes, etc.

pro 1. hora poſt meridiem. Omnes SS. qui inter omnes Prædeſtinatos *Deo* eſtis proximi, atq; chariſſimi. Eſtote cuſtodes cordis mei, etc.

Omnes

Omnes Electi *Dei* cælo iam recepti, qui me hìc aliquando ad ſalutem, quacunq; in re iuuiſtis, vel fortè hìc viuentes olim per me à *Deo* adiuti eſtis. Eſtote cuſtodes, etc. pro 2.

Omnes Sancti, qui in eo, in quo ego ſum vitæ inſtituto, *Deo* excellentiſſimis modis ſeruiuiſtis. Eſtote cuſtodes cordis mei, etc. pro 3.

Omnes SS. qui, dum hìc viueretis, vniuerſæ cæleſti curiæ ſingulari ſtudio colendæ, ac morientibus enixè iuuandis addicti fuiſtis. Eſtote cuſtodes cordis mei, etc. pro 4.

Omnes Sancti, quos à vita ſceleratà, vel certè valdè tepidà, ad ſingularem ſui amorem eleuauit *Deus*. Eſtote cuſtodes cordis mei, etc. pro 5.

Omnes Sanctorum Religioſorum Ordinum Fundatores, & Protectores. Eſtote, etc. pro 6.

Omnes Sancti ſingulares diuini amoris Magiſtri, & exempla: Eſtote cuſtodes etc. pro 7.

Omnes Sancti, qui diuinis inſpirationibus ſingulari quodam ſtudio, et accuratione, atq; conſtantià reſpondiſtis. Eſtote etc. pro 8.

Omnes Sancti, qui pro apertis et occultis *Dei* beneficijs maximè grati, ac illis optimè vſi fuiſtis. Eſtote cuſtodes cordis etc. pro 9.

Omnes Sancti, qui me maximè iuuare poteſtis ad id, quod mihi pro ſalute mea maximè neceſſarium eſt, et ad omnem voluntatem *Dei* optimè implendam ſecundùm cor *Dei*. Eſtote cuſtodes cordis mei etc. pro 10.

Omnes Sancti mei nominis, meæ Patriæ, pro 11.

ac Pa-

ac Patroni mei menſtrui; omnes Sancti, qui natali meo die, vel in mea hac ætate mortui eſtis. Eſtote cuſtodes cordis mei, etc.

12. Omnes Sancti, quos felici morte defunctos hoc die, vel eo die, quo ſum natus, vel eo, quo moriar, felici æternitate, aut alio illuc ducente vos beneficio ſingulari, donauit *Deus*; quorum feſtum hoc die, vel illo quo natus, aut moriturus ſum, celebratur in Eccleſia triumphante: Omnes Sancti, et Sanctæ *Dei*: S.P. Ignati, cum omnibus in cęlo filijs tuis, fratribus meis. Omnes Sancti, mei, et eorum Patroni, qui mecũ eodem die vel horà in vltimo agone verſabuntur: Eſtote nunc & in hora mortis meæ cuſtodes cordis mei, & eorum, qui eodem die mecum morituri ſunt.

[...]næ ad [...] Andr. Nou. [...]8. *Petrus Angelus Bonchriſtianus* ante mortem cor B. Virgini, & per hanc *Ieſu*, ſæpè dedicabat. Libellum ſibi pro migrationis extremis horis conſcripſit: in quo morti ſuæ præficit S. Ioſephum, bonum latronem, S. Vrſulam & Socias, S. Barbaram, S. Auguſtinum, S. Martinum, S. Hilarionem. Sæpè ſubmiſsà voce auditus eſt dicere: *Gaudeo, Domine, quòd ſis immenſus, infinitus, omnipotens, miſericors, & ſummum bonum. Volo hos dolores, quia tu ita vis. & iterùm exulto quòd maieſtas tua ſit tam magna, tam bona, tamq; amabilis, vt omne verum gaudium in ſe contineat.*

Dice-

Dicebat ad Crucifixum inter oſcula: *Chare, chare, chare* Ieſu, *quàm me amaſti*!

Addendæ aliquæ aſpirationes ad Sanctum tui Nominis; c. gr. S. Ioannem: vtpote qui tui curam iam inde à Baptiſmo ſuſcepit.

15 *Ioannes Fhiedot* Coadiutor Aureliæ morti vicinus adiutorem valetudinario præfectum rogauit, vt præſtantiſſimos quoſdam virtutum actus in charta deſcriberet, ſuoq; collo appenderet; ac vrgente vi morbi crebriùs ſuis auribus inculcaret. Prouidendum nimirùm eſt, quibus tunc iuuari poſſimus. Ego fidei potiſſimùm, ſpei, charitatis, doloriſq; actus plures afferam, inſertis non rarò diuinæ Scripturæ verbis. Seligantur optima ex optimis; vt vltimas vitæ particulas quàm pretioſiſſimè occupemus. Et hæc erunt velut ſoliloquia infirmorum, ſenſim illis cum interſpiratione legenda.

2. Ian. 1653.

Charta cum ſelectis pro extremo vitę articulo actibus.

16 *Credo* quæ reuelaſti, *SSS. Trinitas* vnus *Deus*. *ſpero* quæ promiſiſti. *Amo* te, quia dignus es, quia *Deus* es. odi peccata mea omnia, quia tu odiſti: & *deteſtor* illa, ideò quia tu illa deteſtaris. *Gratulor* tibi de diuinitatis tuæ theſauris infinitis. Vtinam Cherubinorum, Seraphinorum, Angelorum omnium, Sanctorum omnium, Beatiſſimæ Virginis Matris, ac deniq; ipſius *Ieſu* corde & ore poſſem amare, ac laudare te, gaudere de te, & gratulari tibi; offerre me, vitam, mor-

Fides, ſpes, charitas, dolor. Deſideria.

Digitized by Google

mortem, æternitatem meam gloriæ tuæ, amori tuo, *Deus*! & facere illa omnia quæ in vita & morte Sanctorum tuorum tibi maximè placuerunt: *Gaudeo*, quòd tu teipſum dignè ames, quantum mereris! *Doleo* quòd vllum temporis momentum perdiderim, quo te non amaui; imò quo *in te*, *Deus* optime, pulcherrime, amari digniſſime, *peccaui*! Vtinam poſſem redimere, & excellentiſſimis excelſiſſimæ charitatis actibus implere omnes horas illas, ò *Deus*, qui Charitas es, qui ignis conſumens es! Conſume præterita mala mea, & da vt plus amem te, plus quàm vnquam ſis offenſus à me, vel ab vlla creatura! Laudet te vita mea, laudet te mors mea: amet te migrans hinc ad te anima mea, ò vita mea, Dominus meus, & *Deus* meus!
Lucæ 18. *Deus, propitius eſto mihi peccatori*!

Credo, & *ſpero* videre Bona Domini in terra viuentium, videntium, amantium te.

Credo, Domine; adiuua incredulitatem meam. Adauge mihi *fidem*, qua ita credam in te ne peream, ſed habeam vitam æternam; quà, qui *credit* in te non morietur in æternum; quà, qui *credunt* in nomine tuo, dediſti eis poteſtatem filios *Dei* fieri. Domine, cui ſine *fide* impoſſibile eſt placere, da vt ita credam in te, ſperem te, amem te, vt placeam tibi in lumine viuentium. Domine *Ieſu*, da mihi *fidem Dei*, de

qua

qua dixiſti: *Habete fidem Dei*: fidem *Dei* amore plenam; vt dicas mihi: *fides* tua te ſaluum fecit. Sic credam, ſperem, amem. Marci 11. 22. Lucæ c. 18. 42.

Ora pro me, Sanctiſſima *Ieſu* anima, vt non deficiat fides mea, ſpes mea, charitas mea. Sim plenus fide, & Spiritu Sancto. Veni, *fide* purificans cor meum, *ſpe* exhilarans, *Charitate* inflammans: vt ſim iuſtus ex fide viuens; ſecterq; benè veſtigia fidei, ſpei, charitatis; in omnibus ſumens *ſcutum fidei* in quo poſſim omnia tela nequiſſimi ignea extinguere. Indutus *loricam fidei*, viuam & moriar in conſcientia bona, & *fide non ficta*: curſum conſummem, *fidem ſeruem*, & accipiam repoſitam mihi coronam, quam fidelibus tuis repoſuiſti, *autor fidei*, & conſummator, *Ieſu*! vt reportem *finem fidei* meæ, qui tu es, ò via mea, veritas mea, vita mea æterna! Benedic mihi morienti. Lucæ. 22. Act. 6. Act. 15. Rom. 1. Rom. 4. Epheſ. 6. 1. Theſſal. 5. 1. Tim. 1. 2. Tim. 4. 1. Petri. 1.

Credo, mi *Deus*, quicquid vis me credere; *ſpero*, quicquid vis me ſperare; *amo* quicquid vis me amare; *odi* quicquid vis me odiſſe.

Doleo, doleo, doleo! quòd vnquam vllo modo Te maximum, dulciſſimum, optimum *Deum* meum offenderim: & vellem dolere ex motiuo ſummi amoris, qui vnquam vllius Petri, Auguſtini, Magdalenæ, aut cuiuſcunq; verè pœnitentis, vel amantis te cor penetrauit, ò bone, ò altiſſime, ò pulcherrime *Deus* meus!

Digitized by Google

Doleo! non propter infernum, vel purgatorium: quæ tamen credo; & timeo! Doleo! non propter cæleſtem gloriam: quam tamen credo, & ſpero; ſed doleo propter Te, optime ſuper bona omnia, pulcherrime ſuper pulchra omnia, digniſſime ſuper omnia *Deus*: quem amo, et amare cupio in æternum. *Gratias tibi*, Deus; *gratias tibi, vera, & vna Trinitas, vna & ſumma Deitas, Sancta & vna vnitas*. Approbo quicquid boni factum, vel futurum eſt; et vtinam augere bona illa poſſem in infinitum! Deteſtor quicquid mali factum, vel futurum eſt: et vtinam potuiſſem, ac poſſem omnia impedire, ac in totidem bona conuertere. Fides me doceat meliorem te eſſe omnibus ijs, quæ mihi dare potes; ſpes, abſq; præſumptione te præ illis omnibus expectet; charitas te amet ſuper illa omnia, etiam ſuper cæli gaudia, et felicitatem. Omnes Sancti Martyres, impetrate mihi fidem viuam, pro qua mortui eſtis; et pro qua vtinam poſſem et ego mori amore Domini *Dei* mei! Omnes Sancti Confeſſores, impetrate mihi ſpem ſolidam, in qua mortui eſtis: et in qua ſpero me moriturum! Omnes Sancti et Sanctæ *Dei*, impetrate mihi charitatem perfectam in qua vixiſtis, mortui eſtis, et viuetis immortaliter in æternum; vt viuam et ego vobiſcum.

Credo, quæ reuelaſti, ſpero quæ promi-

ſiſti,

Digitized by Google

ſiſti; ſed plus illis amo Te, Te qui promiſiſti, *Deus* fidei, *Deus* ſpei, *Deus* charitatis meæ. Captiua, Domine, intellectum meum in obſequium fidei viuæ; exhilara cor meum lætitià ſpei veræ; accende voluntatem meam, illà, quæ tibi maximè placet, erga te charitate. *Deus* intellectus, *Deus* cordis, *Deus* voluntatis meæ! Domine *Ieſu*, tu es Chriſtus filius *Dei* viui, filius *Mariæ* Virginis; tu ſis mihi reſurrectio, et vita: da vt optimo quo vis modo viuam, et credam in te: quia omnis qui viuit, et credit in te, non morietur in æternum. Da vt moriar vt videam te. Da, vt ita credam atq; ſi vidiſſem omnia miracula, quæ feciſti; da, vt ita ſperem, atq; ſi vidiſſem illa omnia, quæ promiſiſti: da, vt ita te amem, ſicut te amauit S. Ioannes, S. Ignatius, S. Xauerius, B. Borgia, B. Aloyſius, B. Stanislaus, & S. Catharina Senenſis, ac omnes ij, quos tui amore maximo, tenerrimo, dulciſſimo, ſolidiſſimo, per omnem vitam, & maximè in mortis articulo, accendiſti. Munda, & deſponſa tibi animam meam in fide; dota illam ſpe; duc illam in domum tuam: & in charitate perpetuà dilige illam, & attrahe illam miſerans, per dulciſſimam V. Matrem tuam, & omnes electos tuos. Gratulor tibi de te! gaudeo de infinita gloria tua. Volo pati quæ vis me pati: & gaudeo quòd in te nullus dolor poſſit cadere; quòd tibi ita be-

Digitized by Google

nè ſit ſemper, vt malè eſſe nunquam poſſit. Vtinam operibus lumini fidei veræ ſemper conſentaneis fuiſſem teſtatus fidem meam viuens; & vtinam poſſem illam moriens cruentà morte teſtari, per te factus diues in fide, diues in ſpe, diues in charitate, ò diues in omnes, *Deus*! Da mihi, vt aſſequar beatum illum præcepti finem, qui eſt charitas de corde puro, & conſcientià bonà, & fide non fictà. Da, vt ſim iuſtus tuus, quia iuſtus tuus ex fide viuit, in ſpe viuit, in charitate viuit: *Sperat iuſtus in morte ſuà*, ſed per mortem tuam, Crucifixe *Ieſu*!

1. Tim. 1.

Prou. 14. 32.

Deus fortis meus, ſperabo in te: ſcutum meum, & cornu ſalutis meæ: eleuator meus, & refugium meum: Saluator meus: de iniquitate liberabis me. Domine, ſperantem in te miſericordia circundabit. Doce me ſperare in te; vt miſericordia tua æterna vndequaque circundet me. Qui ſperat in te, beatus eſt: fac me ita ſperare in te, vt ſim beatus à te; & habebo in nouiſſimis ſpem; & ſpes mea non peribit. Speremus miſericordiam tuam, *Deus* meus. da mihi ſpem, quam habere me vis; vt anima mea in manu tua ſit, & ſpes mea immortalitate plena ſit.

2. Reg. 22. Pſal. 31. Prou. 16. 20. Prou. 24. 14. Sap. 12. 22. Sap. 3. 4.

Domine, da mihi amorem, ac timorem tuum, *credam* tibi, & non euacuetur merces mea: vt *ſperem* in te; et in oblectationem veniat mihi miſericordia: vt *diligam* te, et illu-

Eccli. 2. v. 8. 9. 10. 11.

illuminetur cor meum; quia nullus ſperauit in te, et confuſus eſt. Pius, et miſericors es tu, *Deus*, et remittes in die tribulationis peccata. O Mater *Dei*, per pretioſiſſimam mortem tuam, et illos actus amoris *Dei* quos tunc elicuiſti; per omnem miſericordiam quà vlli ſuccurriſti; memento mei nunc, et tunc. Gere curam mei finis: vt tuà defenſione munitus ingrediar beatam æternitatem. Experiar te Matrem pulchræ dilectionis, & timoris, et agnitionis, et ſanctæ ſpei. In te poſt *Ieſum*, eſt gratia omnis viæ et veritatis, in te omnis ſpes vitæ et virtutis. Spiritus Filij tui, et tuus, ſuper mel dulcis: et hæreditas illius ſuper mel, et fauum. Per te accepi gratias; per te reddo gratias: in manus, et per manus tuas commendo, et offero ſpiritum meum *Deo* meo; vt illum videam, videam, videam; amem, amem amem, ęternùm. Ibid. v. 13. Eccli. 24.

Sit ſpes mea in *Ieſum* Filium tuum, ſaluantem me. Qui timet illum nihil trepidabit, et non pauebit: quoniam ipſe eſt ſpes eius. Timentis illum beata eſt anima eius. O *Ieſu*, rogo te per *Mariam*; ò *Maria*, rogo te per *Ieſum*; ò *Ieſu*, et *Maria*, rogo vos per *SSS. Trinitatem*; ò *SSS. Trinitas*, rogo te per amorem quo *Ieſum*, quo *Mariam*, quo te amas; miſerere mei, vt felix moriar ad mai. tuam gloriam, & amorem: vt vos amem æternùm. Eccli. 34. à v. 15.

Domine *Ieſu*, tu eſto mihi, & omnibus V. 19.

ani-

Digitized by Google

animam agentibus in hora illa protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, & vmbraculum meridiani, deprecatio offenſionis, & adiutorium caſus, exaltans animum, & illuminans oculos, dans ſanitatem, & vitam, & benedictionem. Hæc re-
Thren. c 3. colens in corde meo, ideò ſperabo. Fac,
v. 21. 23. 25. Domine, vt *multa* ſit *fides* mea. Bonus es tu, Domine, ſperantibus in te, animæ quærenti
Ierem. 17. 17. te: fac vt inueniam te. Non ſis tu mihi formidini, ſpes mea tu in die afflictionis. Vellem, vellem omnes mundi theſauros, delicias, pulchritudinem, tempora, ingenia, libros omnes, omnia quæ fuerunt, ſunt, eſſe poſſunt, in tui amorem, & honorem conuertere, *Deus*, ò amabilis ſuper omnia, *Deus* meus!
Ier. 31. 17. Dic animæ meæ: *Et eſt ſpes nouiſsimis tuis*: &
Actor. 2. 26. caro mea requieſcet in ſpe. O *Deus* ſpei; reple
Rom. 15. 13. me omni gaudio, & pace in credendo: vt abundem in ſpe, & virtute Spiritus Sancti. O
Coloſs. 1. 27. Chriſte, ſpes gloriæ, ò Mater, vita, dulcedo, & ſpes noſtra! docete me credere, ſperare, amare; vt viuam & moriar benè expectans beatam ſpem, et aduentum gloriæ Magni *Dei*. Suppleat quicquid mihi deeſt in vero de peccatis dolore, in vero tui amore ac deſiderio videndi te, et præparet me morti felici, ac vitæ æternæ, fides ſperandarum ſubſtantia rerum; firmet ſpes non confundens, accendat charitas illa, quæ tu es, *Deus* meus:

vt ma-

vt manens in charitate, in te maneam, et tu, *Deus* meus, in me in æternum. Atq; hæc omnia vt impetrem, vos, felices in purgatorio animæ, *Dei* filiæ, vos omnes electi *Dei*, qui ante me felici morte abijſtis ad vitam æternam, vt *Ieſu*, et *Mariæ* animam meam commendetis, rogo. Te autem horæ meæ ſupremæ gubernatricem, et plenam procuratricem apud *Ieſum* conſtituo, rogo, ò *Maria*! *Hoc enim nomine*, Domine Deus meus, *tanquam ſigno Dominico, aureo illo, & ſupra modum pretioſo, orationem meam conſigno, quod ore, & corde, & animà totà complector, quodq; vtinam in ore habere tunc poſſem, cùm mors ad vltimum reddendum ſpiritum me compellet. Mihi enim omninò perſuadeo, futurum, vt crudeles aëris exactores, hominumq; hoſtes, illud timeant.* Domine Ieſu, *idem tuæ Matris nomen ſit mihi vltimus linguæ loquentis motus; vt illud, veluti oliuæ ramum, in ore ferens, auolem, & requieſcam; quemadmodum columba in ſalutari arca Paradiſi. Illuc enim etiam atq; etiam redire deſidero.* S. Germ, Patriarch. orat. in annunc. B V ferè in fine mihi pag. 112.

Exurge, Domine, ſaluum me fac, *Deus* meus. Pſal. 3.

Miſerere mei, et exaudi orationem meam. In pace in idipſum dormiam, et requieſcam: Quoniam tu, Domine, ſingulariter in ſpe conſtituiſti me. Pſ. 4.

Lætentur omnes qui ſperant in te; in æter- Pſ. 5.

æternum exultabunt : et habitabis in eis.

Vid. Pſ. 6. Domine, vt ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos.

7. Domine *Deus* meus, in te ſperaui : ſaluum me fac ex omnibus perſequentibus me, et libera me. Ne quando rapiat, vt leo, animam meam.

Pſalmo 9. Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo!

Lætabor, et exultabo in te : pſallam nomini tuo, altiſſime!

Et ſperent in te qui nouerunt nomen tuum; quoniam non dereliquiſti quærentes te, Domine.

12. Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte.

Exultabit cor meum in ſalutari tuo : cantabo Domino qui bona tribuit mihi : et pſallam nomini Domini altiſſimi.

15. Conſerua me, Domine, quoniam ſperaui in te : dixi Domino; *Deus* meus es tu : quoniam bonorum meorum non eges. Et caro mea requieſcet in ſpe.

Notas mihi feciſti vias vitæ, adimplebis me lætitià cum vultu tuo : delectationes in dextera tua vſq; in finem.

16. Mirifica miſericordias tuas, qui ſaluos facis ſperantes in te. Sub vmbra alarum tuarum protege me!

Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.

Deli-

Digitized by Google

Delicta quis intelligit ? Ab occultis 18.
meis munda me:et ab alienis parce ſeruo tuo. Pro confeſſione.
Domine adiutor meus,et redemptor meus.

Eſto mihi in *Deum* protectorem,et in domum refugij, vt ſaluum me facias. Pſ. 30.

In manus tuas commendo ſpiritum meum : redemiſti me, Domine *Deus* veritatis.

Ego autem in te ſperaui, Domine : dixi, *Deus* meus es tu : in manibus tuis ſortes meæ.

Miſerere mei, *Deus*, miſerere mei:quo- 56.
niam in te confidit anima mea.

Et in vmbra alarum tuarum ſperabo, donec tranſeat iniquitas.

Clamabo ad *Deum* altiſſimum, *Deum* qui benefecit mihi.

Inhabitabo in tabernaculo tuo in ſecula: 60.
protegar in velamento alarum tuarum.

Verumtamen *Deo* ſubiecta eſto, anima 61.
mea : quoniam ab ipſo patientia mea.

Exaudi orationem meam : ad te omnis 64.
caro veniet.

Beatus quem elegiſti, et aſſumpſiſti: inhabitabit in atrijs tuis.

Replebimur in bonis domus tuæ !

Qui poſuit animam meam ad vitam : et 65.
non dedit in commotionem pedes meos.

Deus, in adiutorium meum intende ; 69.
Domine, ad adiuuandum me feſtina.

Digitized by Google

Adiutor, & liberator meus es tu: Domine, ne moreris.

88. Miſericordias Domini in æternũ cantabo.

ſ. 102. Benedic, anima mea, Domino: & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto eius.

Vid.pſ.90. & 105. Benedic, anima mea, Domino: & noli obliuiſci omnes retributiones eius.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui ſanat omnes infirmitates tuas.

Qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in miſericordia, & miſerationibus.

ſ. 117. O Domine, ſaluum me fac! O Domine, benè proſperare: benedictus qui venit in nomine Domini. Amen.

Addi poſſunt *Omnes Pſalmi ad laudes, ad horas, ad completorium, & Pænitentiales*.

poc. 5. Sedenti in throno, & agno: Benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſecula ſeculorum. Amen.

poc. 6. Amen. Benedictio, & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo *Deo* noſtro in ſecula ſeculorum.

poc. 22. Veni, Domine Ieſu!

atth. 14. *Cum S. Petro*: Domine, ſaluum me fac.

12. *Cum Chriſto*: Pater, ſaluifica me ex hac hora.

cæ 23. Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum!

t. 7. 59. *Cum S. Stephano moriente*: Domine *Ieſu*, ſuſcipe ſpiritum meum.

Bene-

Digitized by Google

Benedictum nomen gloriæ tuæ ſanctum: & laudabile, et ſuperexaltatum in omnibus ſeculis. Daniel. 3.

Benedictus es in templo ſancto gloriæ tuæ: et ſuperlaudabilis, et ſupergloriosus in ſecula.

Benedictus es in throno regni tui: et ſuperlaudabilis; et ſuperexaltatus in ſecula.

Benedicite, omnes religioſi Domino *Deo*!

Cum S. P. Ignatio: Suſcipe, Domine, vniuerſam meam libertatem; accipe memoriam, intellectum, atq; voluntatem omnem. (etiam vitam, et animam meam.) Quicquid habeo, vel poſſideo, mihi largitus es: id tibi totum reſtituo, ac tuæ prorſus voluntati trado gubernandum (etiam mortem meam.) Amorem tui ſolùm cum gratia tua mihi dones: & diues ſum ſatis: nec aliud quicquam vltra poſco. In contemplat. ad amorem ſpir. excit.

Ad S. P. Ignatium. S. P. Ignati, audi me quoq; minimum filium tuum longiſſimè exulantem, teq; orantem verbis tui Franciſci Xauerij tibi in hæc verba ſcribentis: Te ego, Pater animæ meæ, ſummèq; mihi venerande, poſitis humi genibus, tanquam ſi præſentem intuerer, ſuppliciter oro, ne *Deum* pro me obſecrare deſiſtas: vt dum vita ſuppeditat, ſanctiſſimæ voluntatis ſuæ mihi det et planè agnoſcendæ, et omninò exequendæ facultatem. Lib. 2. ep. 8. in fine.

Digitized by Google

Vitæ lib. 5. c. 2. *Cum S. Xauerio*. O *Ieſu* Chriſte, *Deus* cordis mei! Obſecro te per quinq; illa vulnera, quæ tibi in cruce noſtri amor inflixit, famulis tuis ſubueni, quos pretioſo Sanguine redemiſti.

Ibid. c. 6. in fine. Te ego, *Ieſu* Chriſte, *Deus* cordis mei, per acerbiſſimos tuæ necis cruciatus obſecro, obteſtorq; , vt intuearis ipſe tuas cicatrices quas æterno Patri aſſiduè pro nobis oſtentas; eaſq; ſalubres etiam miſero mihi eſſe velis. *Hæc ille*.

Vtinam è ſingulis momentis totius vitæ meæ, vſq; ad momentum extremum, poſſem facere totidem ſecula amoris tui! Da vt hìc cæleſtis vitæ, ac diuinæ tirocinium ponam in amando te; nec vnquam deſinam te amare ampliùs in æternum. Quare ne ſinas me abire ex hac vita in aliam, niſi benedixeris mihi, vt moriar ad maiorem tuam gloriam, et viuam in æternum, *Deus*! Sit omnis reſpiratio mea, et potiſſimùm vltima exhalatio, ac expiratio, ſit viuum holocauſtum amori, et honori tuo profundiſſimà humilitate, altiſſimà charitate oblatũ tibi, per amorem cordis *Ieſu*, *Mariæ*, ac omnium electorum. Gratias tibi pro omnibus quibus benè moriendi gratiam conceſſiſti, et concedes! Per omnes illos te rogo, da mihi illas pro morte feliciſſimè obeũda pręparationes quę in illis tibi maximè placuerunt. Idem peto pro illis qui mecum

eodem tempore erunt in agone per totum orbem terrarum;& pro illis qui mihi aderunt morienti. Accipe tunc animam meam cùm illam videris ad migrandum optimè præparatam ad maiorem gloriam tuam!

Dies vltimus Beatiſsimæ V. oblatus.

Offero tibi, *Maria Dei* Mater, hunc, & vltimum diem vitæ meæ, cum ſuis horis ſingulis, & momentis; vt me cuſtodias felici æternitati; & ſiſtas *SSS. Trinitati* felicem æternùm.Et vt hoc impetrem,offero tibi hóc tributum in ſingulas horas.Et hęc omnia pro ijs in purgatorio animabus quas tu elegeris: vt illæ me morientem iuuent. Sabbatho vel aliqua die B.Virginis.

Pro 1. Horà offero tibi; Aue *Maria*, &c.
Pro 2. Alma Redemptoris.
Pro 3. Aue Regina.
4. Aue, Maris Stella.
5. Concede nos. vt 5. Aug.
6. *Deus*,qui ſalutis.vt in 8.Natiuit.1.Ian.
7. *Deus*,qui de Beatæ, &c. vt 25.Martij.
8. *Deus*, qui *B.Mariam*. vt 21.Nouemb.
9. Defende quæſumus, Domine, *B.Maria* ſemper V. intercedente, &c.
10. Famulis tuis. vt 2.Iulij.8.Sept.8.Dec.
11. Famulorum tuorum. vt 15.Aug.
12. Interueniat pro nobis. ex offic.
13. Lit. Lauretanas.
14. Magnificat anima mea, &c.
15. Memento ſalutis autor. ex offic.

16. Obſe-

16. Obſecro te, Domina, ex offic.
17. O intemerata, ex offic. B. V.
18. O Domina mea. ex offic.
19. O *Maria*, *Dei* Genitrix. ex offic.
20. O glorioſa Domina. ex offic.
21. Quem terra, pontus. ex offic.
22. Regina Cæli.
23. Salue Regina.
24. Stabat Mater. ex offic.

Adde ſelectas è Diurno orationes Dominicarum, & S. Nicolai, ac aliorum feſtorum. Pro indulgentijs identidem repetendum:

Amo te: & ideò, doleo quòd te offenderim, *Deus* meus, bonitas infinita! *Ieſus. Maria. Ieſus. Maria.*

E S. Bonauenturæ pſalterio Mariano.

Pſ. 8. Domina, benedicta ſit dulcedo miſericordiæ cordis tui.

Pſ. 9. Reſpirent ad indulgentiam humiles pœnitentes; ſana contritiones cordis eorum. In pulchritudine pacis, & requie opulentà, cibabis nos poſt laborem peregrinationis noſtræ.

Pſ. 19. Ne proijcias nos in tempore mortis noſtræ: ſed ſuccurre animæ cùm deſeruerit corpus ſuum.

Mitte Angelum in occurſum eius, per quem ab hoſtibus defendatur. Oſtende ei ſereniſſimum Iudicem ſeculorum, qui ob tui gratiam veniam ei largiatur. Sentiat in pœnis refri-

refrigerium tuum; & concede ei locum inter electos *Dei*.

In manus tuas, Domina, commendo ſpiritum meum, totam vitam meam, & diem vltimum meum. 30.

Vide, Domina, quoniam tribulor: expande manus tuas: ſuccurre pereunti. Ne moreris propter gratiam nominis tui, vt efficiaris mihi in gaudium, & ſalutem. 70.

In manu tua ſalus & vita conſiſtunt, lætitia perpetua, & æternitas glorioſa. Reſperge cor meum dulcedine tuà. 71.

Fac, Domina, vt viuamus in gratia Spiritus Sancti, & perduc animas noſtras ad Sanctum finem. Pſ. 56.

Excita ſpiritum meum ad amandum bonitatem tuam: excita mentem, ad extollendam nobilitatem tuam.

Suſcipe in fine animas noſtras, & introduc nos in requiem æternam. 94.

Glorioſum, et admirabile eſt nomen tuum: qui illud retinent, non expaueſcent in puncto mortis. 110.

In exitu animæ meæ de hoc mundo occurre illi, Domina, et ſuſcipe eam. 113.

Eſto illi ſcala ad regnum cælorum.

Ad Mai. *Dei*, *Deiparæ*, S. P. Ignatij, ac omnium Sanctorum gloriam, & ſanctum vltimi agonis noſtri ſolatium.

PRO-

Digitized by Google

IVxta decretum Vrbani VIII. Pont. 13. Martij anno 1625. editum, et confirmatum 5. Iulij anno 1634. quo inhibuit imprimi libros hominum, qui ſanctitate, ſeu Martyrij famà celebres è vita migrauerunt, geſta, miracula, vel reuelationes, ſeu quęcumque beneficia, tamquam eorum interceſſionibus à *Deo* accepta, continentes, ſine recognitione, atq; approbatione Ordinarij, et quę hactenus ſine ea impreſſa ſunt, nullo modo vult cenſeri approbata. Quæ idem 5. Iunij 1631. ita explicuit, vt non admittantur Elogia Sancti, vel Beati abſolutè, et quæ cadunt ſuper perſonam, benè tamen ea, quæ cadunt ſuper mores, et opinionem, cum proteſtatione in principio, quòd ijs nulla adſit auctoritas ab Eccleſia Romana, ſed fides tantùm ſit penes Auctorem. Iuxta hæc obedienter profiteor me haud alio ſenſu, quicquid in hoc libro refero, accipere aut accipi velle, quàm quo ea ſolent, quæ humana dumtaxat auctoritate, non autem diuina Eccleſiæ, aut Sanctæ Sedis Apoſtolicæ nituntur, ijs tantumodo exceptis, quos eadem Sancta Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Catalogo adſcripſit.

IOANNES NADASI SOC. IESV.

A. M. D. G.

378.018

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google